This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Maximum

seu

Archimetria.

Εκ παντων ἑν
και εξ ἑνος παντα.

Ἡρακλ.

ASTOR LIBRARY
NEW-YORK

MDCCXCIX.

Digitized by Google

Digitized by Google

Cap. I.

Ratio.

§. 1.

„Hoc ſcio."
Ac te id ſcire, unde ſcis?
„Ejus mihi rei ſum conſcius."
Te ſcire, tibi conſcis: tibi te conſcire, ſcis.
Volvitur Ixion et ſe ſequiturque fugitque. Ovid.
Utrumque jam unde ſcis?
„Ita cogito, ineffabili quadam intus vi: nec poſſum aliter."
Et illud intimum, te aliter non poſſe, unde ſcis?
„Hoc ſentio."
Sentis: et id, quod ſentis, non poteſ non ſentire. Illic igitur illa divina latet NECESSITAS.

Digitized by Google

§. II.

Sentis id, quod sentis: fati lege. En illud in sciendo imum et primum. At errans nuper, etiam sentiebas. Is ergo sensus intimè divinus, an erroris ac veritatis idem?

„Nihil quia sentiri nequit, nonnihil verè sentiebam.“

Verè sentiebas: et quod est, id est: unde igitur error?

„Aliquid erat: nec sat: nec plus: ergo minus.“

Tantum igitur si judicasses, quantum verè sentiebas; neutiquam errare potuisses. Nam verum est, quidquid est: et si minima umbra umbrae.

§. III.

„Et errare demum — quo licet modo?“

Palam, o bone: non curando, quantum scias.

1. Id enim, quod quis verè sentit, SCIT: id eidem dicitur ESSE.

2. Jam quid sit, quisque scit: quantum sit, id negligi poterit.

At eo neglectu illico per gradus omnes, a minimo ad maximum, infinitè cuique errare licet.

3. Id quod in Visu, qui & latissimè & laetissimè sentit, omnino dilucet.

Digitized by Google

Illic enim, NIHIL videri nequit.

Ergo quidquid videtur, EST: eatenus. Nam, quod nobis videri, id sibi esse, dicitur.

Jam verò, quid videatur, id cuique patet: quantum videatur, non itidem.

§. IV.

„Illud unicè miror axioma: quidquid videtur, EST.

Illud unicè attende.

Nam quidquid videtur, id objectum: quidquid EST, id verum dicitur.

Ergo nullum datur Objectum nisi verum.

1. Omnia item objecta, quatenus fieri possit, simul visa, Universum efformant nobis, exterius Mundum, interius Naturam.

2. DIVINUM autem dicitur ubique vis altissima: et id quod altissimâ vi constat.

3. Ergo VERITAS rerum est omnium UNA.

§. V.

„Et quaenam illa veritas una?"

ESSE omnium idem: ESSE ejus quod est.

1. Hoc autem, sive minimum sit extimo visu sive maximum intimo tactu, sive leviculae sit opinionis sive aeternae scientiae, non tamen variatur illud unum: esse, quia noscitur: unius SENSIONIS actu divino.

Digitized by Google

2. Quam sensionem, cognoscentis et cogniti palam EANDEM, inanibus in vocabulis ludicrè scholarum sophi speculantur.

3. Nam ens illud, quod ob essentiam, res: ob formam, idea: ob subitam speciem, objectum: et quia notum ſit, notio dicitur: ens tamen unum est.

§. VI.

Adeo ut nihil differat mortalium vel immortalium Cognitio universa, nisi per PLUS et MINUS.

MAXIMUM objecti cujuscunque RES vocatur κατ' εξοχην ac velut divinum suspicitur exemplar.

MINIMUM objecti cujuscunque tamen ejus aliqua erit IDEA: ab ειδω video, quia minimum illud, extimi summum, ubique notat Visus.

2. Et vel tenuissimè signàta res in mundo noscibilium, tamen discernitur eâ signatione: ac velut inter mille flores unus interlegitur, ita intelligitur: unde illa signatio rerum universa intellectus vocatur.

3. Quin palam: vel minimus aspectus tamen est Objecti, et vel minima species tamen est Spectati: quiddam, at quantum?

§. VII.

Differunt igitur Res et Idea, seu vulgò

Digitized by Google

esse et videri, quatenus MAXIMUM et MINIMUM ejusdem Cogniti.

Adeo, ut sit rei minimum IDEA: ideae maximum RES.

1. Ideoque

tam est genuinè vera vel somnii vagè ludicra idea — quàm visio evidentissima vigilum omnium, hic hujus mundi Sol:

tam est genuinè vera species divinitatis ea, qua vel amentissimus sibi deus videtur — quàm nobis ejusdem species horridè humana:

tam est genuinè vera simulacri natura tamque id quo illudimur nativum — quàm illa vanè opinata res. Nec in mendacio, et si mirè vesano, possibilitas ulla emicat vaga, quae non sit verissima.

2. Nam essendi non est nisi unum ESSE; & in umbrâ umbrae & in vi Numinis.

3. Quid ergo?

Datur nil nisi verum: sicut verum nil nisi unum illud ESSE ejus quod est, imè necessarium, summè divinum.

§. VIII.

„Et erratur tamen usque?"

Impetu vago brutae mentis: non curando, quantum scias: velut vigili somnio.

Etsi hoc vigil somnium: suave, grave: mirum, dirum: jam ad theoriae sublimita-

Digitized by Google

tem stupidam, jam ad heroismi vim stupendam, ut levissimè ita facillimè, transcendat.

1. Cujus immensi erroris haec una illusio eminet: videri tale quid, sed QUANTUM videatur, non attendi.

Unde nil discernitur verè: idea sit, an res? minimum, an maximum?

2. Nam is amentissimus, qui sibi deus videtur, nil nisi verum videt: at quantum? umbram somnii.

Hoc minimum fit maximum ei, qui, QUANTUM sciat, nescit.

3. Et is tamen abstractione, non liberè fatuâ, sed invitè fatali, rapitur. Quid ergo doctorali abstractione, arte velut sollenni amentiarum omnium, possit fieri, patet.

4. Atrum enim aut Rubrum si cogites, neque cures QUANTUM? illico tale tibi erit Universum, tale omnium Omne.

Nec aliter ubivis.

Spatium: cujus? atomi, an mundi? nam nihili nihil.

Bonum: cui? araneo, an Numini?

En quousque errare licet.

§. IX.

Hinc non MAGNUM infinitè, sed QUANTUM finitè, unicè quaerit Mathesis ac veri scientia κατ' ἐξοχήν, cujus est illa clarissimum specimen.

Digitized by Google

1. Nam ut in sensu videndi maneamus: Quidquid videtur, ita videtur.

Jam ita videri, arbitrium superat omne: et illud ITA seu tale, necessitate imâ et primâ SENTIENDI, necessitate illâ divinâ, datur nobis: ideo divinitus DATUM.

2. At verò illud ITA seu tale intus agnoscere, vocatur judicare: ejusdem palam necessitatis.

3. Quid ergò?

Ita videri, fas fati ac fortunae fors esse videtur: QUANTUM videatur, id nostrae Numen reliquit attentioni.

§. X.

Adeo ut mihi TALE ubique datum: TANTUM ubique ratum: dicatur. Tale, velut magnitudo indefinita: Tantum, velut quantitas definita. Illud vagum: certum Hoc. Intuitio scholarum: et Naturae constructio. Ista perceptio caeca: sine conceptu, quia con-cipitur nihil.

§. XI.

Est enim RATIO Universi una: ipsius mathematicae rationis initium: TANTUM.

Nempe, tantum dati cujuscunque.

Est igitur illa RATIO, non cognoscentis, sed cogniti: non humana, sed rerum divina.

Digitized by Google

Qua sibi et nobis conſtat Omne.

Ratio autem nostra? divinae rationis observatio. Et Virtus nostra? divinae rationis observantia. Illa verè Judicium: haec verè Officium. Illa verè scientia: haec verè conscientia.

§. XII.

Non enim differunt VERUM et BONUM, theoria et praxis, aliter quàm ita est et ita esto: sive ITA — in essendo et ad essendum.

1. Fit autem illud verum et bonum illico certum et justum, si definias: tantum est et tantum esto, sive idem TANTUM — in essendo et ad essendum.

2. Nec est MORALE aliud quàm RATIONALE, nec rationale aliud quàm NATURALE actu definitum.

Quod & in graeco λογῳ elucet: ὁσον et ὁσιον.

Unâ verò voce: modus, μετρον. Unde mihi scientia rationis universae Archimetria vocatur.

3. Et quid ést igitur illa Ratio noſtra verissimè? mathesis actualium divina.

Qua omne datum fiat ratum: omne vagum fiat certum: omnis intuitio scholarum fiat Naturae constructio.

Digitized by Google

§. XIII.

„Et eâ demum tanti ratione nunquam errabitur?“

Nunquam. Ipse enim vide. Quàm parum noris, tamen TANTUM erit. Nec minimum minùs verum est, quàm maximum: TANTUM ubi definias.

Est igitur TANTUM illud, quod quaerunt sophi, reale absolutum divinae ubique necessitatis.

2. Definiunt scholae quidem per genus et speciem: tam autem vagè, ut percipiendo fere nil concipias et intuendo fere nil construere queas. Suos enim usque ludunt circulatorios vagarum visionum circulos.

3. At ratio TANTI omnium est definitionum definitio ac palam statuit CERTITUDINIS & Centrum & Universum.

§. XIV.

Sed ii contrà, qui nil definiant actu: quantum sciant, non curent: TANTI rationem habeant nullam: ii cur demum irrationales per irrita non aeternò errarent?

1. Itaque ideistae hi et vocabulares: dum ideam pro re, minimum pro maximo, fatuè mirantur: notionem habent, non cognitionem: opinionem, non scientiam: phantasiam sine judicio: mentem sine ratione.

Digitized by Google

2. Nam TANTUM noscere, id est verè cognoscere: TANTUM illa divina vis est scientiae, judicii, universim & entis & mentis.

3. Ac sicuti nil exstat, quod non sit individuum: ita individuum nil est, nisi unicè in qualitatum QUANTO maximè definito: ergo non in dato, sed in rato: nec tale quid, sed hoc tantum.

§. XV.

Hinc verò, quàm esset vanum, altam altè contemplari Caroli carolitudinem, non in homine sed in nomine, non in re certâ sed in ideâ vagâ: tam est ubique vanum, per non rata seu irrita velle sapere, et a libro libritatem, a memet egoitatem, a toto totitatem, captare nil capiendo.

1. Est pol id quiddam: at quantum? umbra somnii: minimum ideae pro maximo rei: nubes pro Junone.

2. E qua nube tamen o quot mentis nephelogenes centauri: o quot amentiae orbes ixionei. Phasmata loquor, phasmatumque systemata: fictiones, et factiones: erroris olympos, ac tartara terroris.

3. Et vel illic palam nil nisi verum: si modò tantum, quantum sit, definias.

Erat nubes ea datum, at Ixioni non ratum: TANTI cum ratione, summam speciem judicasset, non animatam Junonem.

Digitized by Google

§. XVI.

Dicitur quidem, cum ratione insanire: sed fiet nunquam.

Est enim TANTI ratio evidentissimae necessitatis: & Numini & intelligentium cuique.

1. Mente cum altissimâ insanitur saepe: cum ratione neutiquam: eatenus, quatenus cum ratione.

2. At sine ratione MENS nil est, nisi PHANTASIA sublimior bruti somnii: antiquissima dea FATUA fatuè divinans: sive sanctioris mythi lucifera, olympicotartarea, archimaga illa simia Dei.

3. Et A MENTE igitur nil nisi AMENTIA. Nam furit amens: non sine MENTE, qua solâ in immensum errat ultra sensum ac naturam omnem: sed sine RATIONE.

§. XVII.

Ac sine ratione nihil non minimum illico erit maximum.

Id quod ubique testantur Exempla.

1. Vir est magnus. Quatenus? gradu imo, an summo: primo, an millesimo? nam est magnitudo & minimi & infiniti.

2. Est dea mirè pulcra mea. Quatenus? nam & simia est adoranti divi-

Digitized by Google

na, et amatum ecquid amatori non pulcrum ?

3. O voluptas. Quatenus? nam vel in limo coaxans hiat voluptate rana, bibitque solem.

4. Hoc hoc mihi debitum violat honorem. Quatenus? nam & summos mortalium honores, nisi veros, ridet Veritas.

En quousque MENS vaga ruat sine RATIONE. Et quaeritur heic tamen, quid? Magnum, Pulcrum, Jucundum et Honestum.

§. XVIII.

Neque putes, nonnisi ludendo ita evagari Mentem.

Nam & axiomata sapientiae universae velut somniata esse videntur: et ipsae Regulae nihil regulant, omnes ubique irrationales et irritae, e. g.

1. Benefacito cuique: at quatenus? obolum, an talentum dari oportet? opem, an opes?

2. Ignoscito: quatenus? Ulciscitor: quatenus? Est ignoscere divinum. Est ulcisci divinum.

3. Fer patienter: quatenus?
Nil aequè ferto iniquum, nam injuriam, qui non punit, facit: quatenus ?

Digitized by Google

4. Magno sis animo, spera dum spiras, et meritis quaesitam sume superbiam: quatenus? quatenus?
Humilis esto, tuumque agnoscito Nihil: at quatenus?

5. Purâ mente sperne voluptates: quatenus?
Omni cape sensu dulcedinem divinam: quatenus?

6. Castè vivito: quatenus?
Foetificate et augescite: quatenus?

7. Munificus esto: quatenus?
Rei parce tuae: quatenus?

8. Vitam ne teras otio, nam paullum distat inertiae celata virtus: quatenus?
Placidam amato quietem, nam bene vixit, qui bene latuit: quatenus?

9. Humana despice: quatenus?
Aeterna suspice: quatenus?

10. Aude: quatenus?
Time: quatenus?

11. Dubita: quatenus?
Crede: quatenus?

12. Quin & sanctissima vox omnium sapientum: Cogita: aeternum jubet stuporem, ni scias QUATENUS?

Digitized by Google

§. XIX.

Cur enim?

Sunt circumstantiae rerum et modificationes aliud nil quàm ipsius Naturae PLUS et MINUS, quàm ipsa rationis divinae MOMENTA, quorum pondere libratur Universum.

Quod vel in minimis dilucet, e. g.

Scribe stilo
facili: gravi,
blando: severo,
suavi: vehementi,
tenui: valido,
claro: profundo,
humili: sublimi.
etc.

Ecquis poterit ea mirè contraria unire deus, ni ubique sciat QUATENUS?

§. XX.

Hinc rabit vel ipsa religio, saevit vel ipsa pietas, quantumvis altâ mente, sine ratione, e. g.

1. Ora et labora: quatenus? nam orando tollitur labor, laborando tollitur oratio illa: et id sibi si constaret, tamen sine modo ac ratione, quid nobis inde, nisi amentia monachomystica omnis?
2. Pro caelo dira pati, suave: quatenus? an ad vesana usque martyria?

Digitized by Google

3. Odisse fas est, quos Deus odit: quatenus? en enim, ubique terrarum et usque, FANATICISMUM crudum et crudelem: en ejus furias et orcum!

§. XXI.

Nec minùs Principia, quae putantur, omnium regularum, sine ratione TANTI, delirant, e. g.

1. Ama proximum tamquam teipsum: quatenus igitur? nam & sese contemtibilem probus quisque contemnit, sese damnabilem damnat. Ita-ne alium quemvis, ita-ne papam vel episcopum, amare licet?

2. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: quatenus igitur? nam & avarus, ut nil det, nil accipit: & superbus, ut altè dominetur, abjectè servit: & hostis trucidat ultro trucidandus: & eâdem inter se aleâ latrones ludunt, perduntque hilarè se mutuò perditores.

3. Conserva tete: quatenus? nam in sese devovendo heroica et sublimior omnis emicat virtus.

4. Sequere naturam: quatenus? nam nihil non est naturae: atque naturam vincere, ingenio et animo, arte et

Digitized by Google

marte, ubique censetur illud in homine Divinum.

5. Cupi jucunda: quatenus? etiam per ardua laborum ac dolorum? sine quibus datur jucundum nihil.

6. Tuam quaere perfectionem: at quatenus? quatenus in re quacunque?

§. XXII.

„Ergo ad axioma quoddam altissimum omnium axiomatum transcendere oportet.“

Et quodnam?

„Ipsum illud OPORTET.“

Quid igitur oportet?

„Id quod velles, ut omnes vellent.“

Egomet vellem hercle, ut salutem omnes maximè vellent meam. Idem sibi vult ab aliis quisque. Ergo SALUS omnium omnis hac voluntate innuitur.

1. Et est, universè, omnis optio OPTIMI.

2. At quatenus quid sit actu optimum? id nunquam, nisi rationis divinae momentis, aestimatur: XIX.

3. Quaeritur autem verè, non quid vellemus ut omnes vellent, ecstasi diâ somnii; sed quid actu velint ad illud, quod suâ quisque voluntate innuit, ad salutem omnium omnem.

Digitized by Google

Ergo eadem usque redit nobis ratio TANTI, theoreticè et practicè, in essendo et ad essendum, XII: ut sciatur, & quid actu velint homines? & quid actu debeant velle? Id quod quaerimus per ipsum illud QUATENUS?

§. XXIII.

Nam hoc nostrum QUATENUS, haec maxima quaestio Rationis objectivè divinae, nihil non definit, quod unquam poterit definiri, XIII: adeo, ut quidquid sit ipso in errore verum, ipso in orco venustum, id illico notet. e. g.

1. Vivitur bene ac beatè: quomodo?

Solummodo

numine propitii Dei, THEOLOGUS ait:
nutu propitii Regis, POLITICUS.
sine affectibus, SOCRATES:
in vivo affectu, HELVETIUS.
hominum ante oculos, ALCIBIADES:
procul ab hominibus, TIMON.
in aulâ, ARISTIPPUS:
in dolio, DIOGENES.
in facili voluptate, EPICURUS:
in altâ fortitudine, ZENO.
in splendore gloriae armorumque tonitru, HEROES:
in dulci otio nemorumque recessu, POËTAE.

2. Quid igitur? utrinque vera et verissima dicunt: at utrinque sine RATIONE. Adeo, ut usque stupeas ad illud solummodo: usque nescias quatenus?

3. Et hac tamen unâ quaestione, en pulcrè illud sibi constat contrariorum Universum.

§. XXIV.

Tolle autem hanc quaestionem rationis divinae et illud QUATENUS non quaere; jam nihil tam erit futile ac fatuum, quod non infinitum illico videatur et omnipotentissimum.

Audin ergo mundi fanatici, non sine Vero, vesanas voces.

1. Quis tibi Deus Optimus Maximus, puelle?
THOR, Scythia resonat:
CNEPH, Aegyptus:
BRIMH, India:
WITZILIPUTZLI, Mexico:
et in medio terrarum sapiens Graecia,
ZEUS.

2. Quis autem divinam divinitus nobis tradidit doctrinam, fili?
MOSES, ZOROASTER, ODIN, BUDDA,
MUHAMMED.

Nam & Mosen vesanè colunt Judaei.

Digitized by Google

3. Atque summos hos doctores quis poterit docere, o juvenis?
Italis ARISTOTELES:
Anglis NEWTON:
Gallis DESCARTES et ROUSSEAU:
Germanis LEIBNITZ et KANT.
etc. etc.

4. His adde sine numero numina omnium omni aevo terrarum: illa VARRONIS triginta millia deorum trecentosque Joves; ad eos usque triptes, qui de sese

Nos vappae sumus et pusilla culti
Ruris numina.

PRIAP. 17.

5. Adde Prophetas majores et minores omnes omnium sectarum theologicarum, philosophicarum, politicarum: omnes omnium fictionum et factionum genios atque heroas.

6. Denique adde Phantasiae illudia mira, in immensum vaga et varia: idearum idola et potentiarum daemonia.

§. XXV.

Ergo jam QUATENUS ita sit, quaere: et ex isto chao lux emicabit. Illud QUATENUS non quaere: et in quavis umbrâ deam somniare licet: in quavis imposturae voce Oraculum; in quocunque demum ecstatico Fatuo docto-

Digitized by Google

rem subtilem, irrefragabilem, seraphicum.

Tu enim istum jesuiticum vappam semper magnum putasti Theologum. Jam iſte, quantus verè sit, id non vanâ puta mente, sed verâ computa ratione. En theologicae palam tibi magnitudinis archimetron.

10. Stator: e. g. Moses.
9. Restaurator: e. g. Luther.
8. Deturbator dogmatum: e. g. Semler.
7. Quassator auctoritatis: e. g. Bahrdt.
6. Doctor in theoriâ celeberrimus: e. g. Mosheim.
5. Zelotes in praxi famosus: e. g. Spener.
4. Concionator admirabilis: e. g. Spalding.
3. Theologus non obscurus.
2. Sacerdos vulgò reverendus.
1. Aedituus idoneus.

Jam istius vappae merita publica adspice: et theologum habes non obscurum: infra quem duos, supra quem septem, vides ordines.

Digitized by Google

§. XXVI.

Quod si exemplum hoc tibi habere videatur aliquid in suâ summâ gravitate ludicrum: en aliud sophicae magnitudinis.

1. qui attentius indagat: observator.
2. qui novum quid ex observatis arguit: cogitator.
3. qui novè cogitatum illud palam demonstravit: philosophus.
4. si hoc demonstratum nil afferat praeter delectationem, tamen philosophus is erit subtilis et acutus:
5. si utilitatem afferat insignem, clarus:
6. si magnam salutem, magnus:
7. si humanae salutis verum quoddam principium stabiliat, summus.

§. XXVII.

Nec aliter elucet magnitudinis poëticae ratio.

1. qui rerum species dias vivosque colores, seu Naturae, illius magnae Picturae, veluti umbras et lumina, in aliquo SIMILI belle imitari sciat: is chromatista erit, a χρωμα.
2. qui personarum actiones verosque mores, affectuum vim omnem et miros errores, variam igitur animorum motu hanc mundi scenam,

Digitized by Google

in aliquo SIMILI aptè repraesentari sciat: is dramatista erit, a δραμα.

3. qui tandem & rerum & personarum, & colorum & morum, & specierum & affectuum, illa mirabilia cuncta adeo mente moderatur suâ, ut, si velit, uni casui jubeat concinere & mundum & numina mundi: is erit epopoeista.

Sanctior autem vates est eatenus, quatenus sanctiora canit: altior, quatenus altiora.

§. XXVIII.

En demum illam, tot exemplis illustratam, RATIONEM nativam ac divinam.

„O quot igitur sunt doctis myriades rationum sine ratione!“

Illam tamen rationem qui nescit, is nullam habet Rationem. Habet quidem Mentem saepe altissimam, sed bruti somnii.

In quo bruto somnio haec nostro aevo horrificè declamantur.

1. Hinc,

Libertas! Libertas! at quatenus? nam est lex omnis libertati contraria.

Illinc,

Lex! Lex! at quatenus? nam & leges dantur summè vesanae ac tyrannicae.

Digitized by Google

2. Hinc,
Aequalitas! Aequalitas! at quatenus? nam sunt homines maximè inaequales, & arte & marte, & viribus & virtute: inaequalium autem aequalitas nonne palam iniquissima?
Illinc,
Majestas! Majestas! at quatenus? nam suam ecce majestatem & Neroni mirè celsam & Witziliputzlio divinam.

3. Hinc,
A Mente! A Mente! at quatenus? nam scitur verè nil sine Sensu: et ecquod unquam delirium, nisi a mente, sine sensu?
Illinc,
Experientia! Experientia! at quatenus? nam scitur verè nil sine Ratione: et ecquaenam in praxi fallacia, nisi per experientiam, sine ratione?

4. Hinc, NOSSE! Illinc, POSSE! in caelum extollitur: at quatenus? nam novit in vanum, qui nil potest: potest in vanum, qui nil novit.

§. XXIX.

„Talia igitur, tam vesanè contraria, quaenam divina vis uniet?“

Digitized by Google

§. XXXI.

Et illas quaestiones ni repetas usque ad MAXIMUM evidentiae; nunquam tu, quid verè scias, scis. e. g.

1. „Alcoranum e septimo caelo delapsum Gabriel archangelus divo MUHAMMEDO apportavit.“ Unde scis illud? „Ita palam docent doctores.“ Hi verò hoc unde
[illegible]unt? nonne per suos doctores doctorum-
doctores ad Muhammedum usque, ita
dixisse dicitur? Quantum ergo?
[illegible]TUR. — „At summus erat omnino
[illegible]pheta.“ Quid [illegible] hoc? „Dei lega-
“ Unde scis il[illegible] haesitas: Quan-
[illegible] ergo? DICI[illegible] „At miracula
[illegible]avit tria milli[illegible]er sexaginta millia
ipso Alcoran[illegible]nde scis illud?
[illegible]sitas: Qua[illegible]rgo? DICITUR. —
Non dicitur: [illegible]libris publicè demon-
[illegible]tur.“ U[illegible] illud? ita verè de-
[illegible]onstrari, [illegible]tigias argumentorum
[illegible] [illegible]torum admirandos ha-
[illegible]iguo sensu, SACROS: et
myri[illegible]ntur mendaciorum ac fa-
bula[illegible]e demonstrationis auctori-
[illegible] Nil igitur credis.“ Unde
[illegible] credis quidquid LIBET: ego
[illegible] LICET: id nempe, quod suâ
[illegible]ne TANTI.

Digitized by Google

Illa una RATIO TANTI.

Nam vera et verissima declamant omnes: altâ Mente, at sine Ratione.

1. Est autem RATIO TANTI illud contrariorum Medium: illud medium harmonicum Universi.

2. Vident enim mortales in omni Toto quiddam, at quantum?

Naturaliter primò minimum: umbraticam speciem, unicè meditatam sophis. Dein ubi plura: hic hoc, illud ille. Inde idearum istud chaos.

3. Ergo una omnium erit semper Quaestio Quaestionum: QUATENUS?

§. XXX.

Sed quoniam in omni causâ quiddam aut indicatur simpliciter, aut judicatur ita esse, aut aestimatur ipsa res tandem; ideo in trinas Quaestiones illud QUATENUS emicat: has nimirum,

1. ubi quiddam indicatur:
   Quid est hoc?
2. ubi quiddam judicatur:
   Unde scis illud?
3. ubi demum id, quod constat, aestimatur:
   Quantum ergo?

Digitized by Google

§. XXXI.

Et illas quaestiones ni repetas usque ad MAXIMUM evidentiae; nunquam tu, quid verè scias, scis. e. g.

1. „Alcoranum e septimo caelo delapsum Gabriel archangelus divo MUHAMMEDO apportavit.“ Unde scis illud? „Ita palam docent doctores.“ Hi verò hoc unde sciunt? nonne per suos doctores doctorumque doctores ad Muhammedum usque, ita qui dixisse dicitur? Quantum ergo? DICITUR. — „At summus erat omnino Propheta.“ Quid est hoc? „Dei legatus.“ Unde scis illud? haesitas; Quantum ergo? DICITUR. — „At miracula patravit tria millia, praeter sexaginta millia in ipso Alcorano.“ Unde scis illud? haesitas: Quantum ergo? DICITUR. — „Non dicitur: sed in Libris publicè demonstratur.“ Unde scis illud? ita verè demonstrari, nec praestigias argumentorum strui: nam & impostorum admirandos habemus libros, ambiguo sensu, SACROS: et myriades vulgò feruntur mendaciorum ac fabularum, non sine demonstrationis auctoritate suâ. — „Nil igitur credis.“ Unde scis illud? tu credis quidquid LIBET: ego credo quidquid LICET: id nempe, quod suâ constat ratione TANTI.

Digitized by Google

„Spiritus innumeros vidit Swedenborg.“ Quid est hoc? an vidit invisibilia? „Spiritus ejus vidit spiritus innumeros: videlicet, visu mentis.“ Quid est hoc? is igitur Visus, quo vidit Homerus Olympum, Milton Tartarum, caecus uterque: is Visus, quo vidit plebs antiqua triginta millia numinum, plebs nostra triginta millia lemurum, sicuti nunc suas formas videt sine materiâ metaphysicus ille Crusiduns et egoitates ubique vident suas Crusidunsioli: is demum Visus, quo nulla non visa videt visionarius. Quantum ergo? is visus mentis, qui sano cuique dicitur PHANTASIA.

3. „Jam spiratur in Gallia nil nisi Libertas.“ Unde scis illud? ergo-ne liberè praedatur, qui possit? ergo-ne liberè trucidat, qui velit? „Id nemo, nemo audet.“ Unde scis illud? „Vis, vis regiminis terret.“ Quid est hoc? vis regiminis ac terror, ubi nil nisi libertas? „Ita liberrimè volunt omnes.“ Quid est hoc? liberè velle imperium: duram liberè velle Necessitatem: quid? nisi magna fraus magni vocabuli.

4. Nec aliter antiqua. „Orbemterrarum occupavit magnus Alexander.“ Quid est hoc? is homulus tanta spatia unus? ergo per stadia gigantescebat? „Non pol

Digitized by Google

mole corporis plus occupavit, sed imperii majestate." Quantum ergo sibi? „Immensam gloriam." Quid est hoc? „Ipsa mortalium admiratio." Quantum ergo? nil nisi O! O! O!

5. „Scio socraticè, me nihil scire." Unde scis igitur illud, te nihil scire? „Neque hoc scio." Unde scis illud, te neque hoc scire? nam quo tu modo haec maxima scis: TE, NEQUE, HOC, SCIRE: eodem plane modo nihil non scibile scies. Quantum ergo? de illâ demosthenicâ umbrâ asini sublimiter litigatur.

6. „At ideas novimus nostras: non res ipsas." Unde scis illud? „Est enim omnis illa notio MEA: color est oculi, non rosae: quin ipsa rosa forsan est nil nisi idea." Unde scis illud? „Nam eidem oculo eadem rosa saepe flava videtur et in quovis errore aliter." Quid est hoc? alia sensio, at semper vera: et vera, quantumlibet varia vel constantior, quantumlibet subita vel aeterna. Quantum ergo? hoc palam: quantumlibet sit actus ille divinitus efficiens nobis vel alius vel idem, TALE tamen semper Objectum est divinum atque in suo TANTO semper & reale & necessarium.

7. „Et usque tamen videmus nil nisi Phaenomena." Quid est hoc? idem

hercle ac si diceres: videmus nil nisi quidquid videmus. Quantum ergo? idem nobis UNIVERSUM & specierum & motuum, hoc est, RERUM: idem Universum, nobis & actu potentissimum & ipsâ vi divinum.

§. XXXII.

Ita demum, quid verè scias, scis. Ita RATIONE uteris: ratione reali ac divinâ TANTI.

1. Qua ratione unicè verâ si non planè destitueretur quivis e vulgo credulus, hoc unum crederet: credo, sacerdotem credere, me debere credere, quidquid me credere velit.

Nec aliter in ipsis academiis: scio, meum doctorem postulare se scire, istum summum doctoris mei doctorem omnia scire.

2. Si verò nil vel indicatur vel judicatur ignotius; tum illud unum QUATENUS ubique sat erit. e. g. Probant omnes haeretici ex Scripturâ Sacrâ: at quatenus?

3. Cujus quaestionis mirâ vi omne DATUM fiet RATUM. Indeque nobis omnis elucet Ratio vera seu illa mathesis actualium divina: X. XI. XII. XIII.

§. XXXIII.

„Est igitur planè objectiva tibi Ratio universa, quoniam oritur nobis ex hac unâ saepe tacitâ quaestione; QUANTUM REI?"

Digitized by Google

Omnino.

1. Nam est alia nulla RATIO nisi rerum illa omnium una: illa non scholae, sed Naturae mathesis: cum qua parum scire licet usque, sed errare licet nunquam.

2. Cur verò? quia in suâ ratione TANTI nihil non sibi constat: mathematicâ, summâ, divinâ necessitate.

3. Et EATENUS nunquam fallit: nec minus habet certitudinis, quàm si quis in lineâ infinitâ notet sibi TANTUM: atque id, si non evidentiâ omnino eâdem, tamen evidentiâ aeque constanti, unicè reali, in gradu suo absolutâ, et ubique maximâ.

4. Est enim illa ratio TANTI eadem, theoreticè et practicè, in essendo et ad essendum? XII.

5. Quae DETERMINATIO, quantum ubique sit et quantum ubique esse debeat, quidnam demum est? nisi ipsa illa, quam aeternò sophi sine sensu quaerunt, ars veri et boni, ars RATIONIS, pantomathesis, philosophia, seu nativa Forma Sciendi.

6. Nec enim aliter in Objecto differunt ubique mentale et rationale quàm Summum et Maximum, seu Summitas et Summa: quarum illa sublimior minimum, haec solidior plurimum, continet: dum illa vagam ideam indicat, haec rem certam: VI. VII.

Digitized by Google

§. XXXIV.

Jam verò, ubi non privatim, sed publicè judicatur: ubi non quid sciat quisque, sed quid sciant omnes, in re qualibet: universè igitur, ubi Quantum sciatur, quaeritur; tum illud principium rationis verae, TANTUM, erit illico definitè MAXIMUM.

1. Atque nullae sunt nisi MAXIMI verae Maximae.

Nam & axiomata identicè necessaria cuncta evidentissimae sunt in ipso Dato notationes MAXIMI seu dati hujus, maximè ita esse.

Ubi verò nihil esset datum, ibi nihil fieri posset ratum: atque Ratio illa tota & divina & humana foret nulla.

2. TANTUM igitur Objècti, ad MAXIMUM usque, principium est Rationis adeo evidentissimè, ut ipsa mathematica Magnitudo sine Tanto simul & irrationalis & irrita sit àc nil demum, nisi scholarum ista mentalis intuitio sine constrùctione et perceptio caeca sine conceptu: x.

Et hinc erat nobis transcendentalium ubique axiomatum illud ABSOLUTUM omne palam a mente amens: infinitè simul & vagum & vanum: ubique irritum, quia nullius rationis.

Digitized by Google

3. Est enim actu vero unum axiomatum axioma seu divina RATIO nobis una. Et quaenam? lex tanti cuique: lex maximi omnibus. Nam TANTUM omnium omne: id nobis est MAXIMUM.

§. XXXV.

Nihil igitur publicè judicatur cum Ratione, nisi MAXIMI evidentiâ.

1. Et sicut ubique TANTUM constituit Rationem privatam cujuscunque; ita MAXIMUM constituit Rationem publicam omnium et Sapientiam universam.

2. Hinc Judex, maximus omnino cognitor, nil judicat unquam, nisi MAXIMI cognitione.

3. Nec datur alia COGNITIO ulla vera, quàm judicis illa.

§. XXXVI.

At scire poterit facillimè quisque, Plus an Minus verè sciat.

1. Poterit facillimè quisque scire, artem se medicam non magis intelligere, quàm histrioniam: astronomiam non magis, quàm funambulinam.

Itidem ubique.

2. Aestimat igitur VERUM, qui verax, et BONUM, qui bonus, esse velit, ex fide quan-

Digitized by Google

tum pote maximâ sapientum ac peritiorum: non ex oraculo unius, non ex opinione suâ.

3. Id est: & cognoscit & agit maximâ cum Ratione.

§. XXXVII.

Et haec sanctissima observatio TANTI, ad MAXIMUM usque, simul est ubique sanctissima & Scientia & Conscientia.

1. Id quod videre licet in architecto, musico, pictore, et opere demum artis omni, ubi sanctitas VERI et sanctitas BONI omnino est EADEM: XI. XII.

2. Unde palam dilucet, omnem & Sapientiam & Virtutem, sive universam artem & Veri & Boni, unâ eâ contineri mathesi RATIONIS, quam diximus Archimetriam: XII. 2. 3. XXXIII. 4. 5.

3. Nec mirum: amat enim Natura simplicitatem potentem.

§. XXXVIII.

„Ergo nil erratur, nil peccatur usquam, nisi defectu mathematicae rationis?"

Nil usquam.

1. Nam altissimâ mente LUCIFER ille, tamen rationem entis quantumlibet gloriosi sui ad Jehovam altissimè nesciebat.

2. Nec aliter nescivit EVA rationem oraculi serpentini ad oraculum Dei: vel ADA-

Digitized by Google

mus rationem rubentis pomi ad rutilantem tartarum.

3. Qualem igitur vides rationem in Caint facinore aut in Babelis istâ titanicâ turri; en talem usque rationem in Sesostri et Xerxe, in ostentis Historiarum diris et miris, in omnium temporum & fanaticâ sublimitate & barbaro furore.

4. E contrario, ecquam admiraris, non simul admirans vivam rationem, ecquam aut in magno Mundo constantiam, aut in blandulo melo dulcedinem harmoniae? ecquam aut magnitudinem virium ac virtutis, aut suavitatem oris ac moris vel in risu mollicello?

5. Quin illud in ipso orco venustum, latronum sanctum heroicumque foedus, si vel usque ad mundi rapinam, cui mirae potentiae tribuas, nisi palam eatenus rationi?

§. XXXIX.

Hanc rationem verò, hanc harmoniae vim, non tolle, sed minue; jam cuncta fatiscunt illico, rumpuntque elementa fidem, ac mox discissa crepat moles Mundi minaturque ruinam.

Nam & Deus ille Optimus Maximus, irritâ ratione, quid fiet, nisi chaus immensum furiata mens?

Digitized by Google

1. Hinc verissimè Fabula finxit, ex Erebo creatrice genita, primitus rudi specimine, immania discordibus membris undique monstra; at, quia sine RATIONE sibi non constarent, iterum in suum illud Nihil ruentia.

2. Et hinc, hinc, etiam cum hac-tam ingenti omnium ubique heroum, ingeniorum clarorumque virorum pompâ, tamen usque fuit mortalium Felicitas nihil, nisi ad felicitatem potiundam perpetuò suspirans, exaestuans, desaeviens, vanissima licet optima VOLUNTAS: fuitque Virtus tremenda gentium nihil, nisi fictionum inter factiones velut Oceani ista immensa fluctuatio, post horrendissimos fremores ac vanè conquassatas terras, in suarum sordium monstrorumque voraginem ultro relabentis.

3. Cur verò? Stat pro ratione voluntas: et fuit, est, erit nihil non irritum sine RATIONE.

§. XL.

Ergo vel is in Gyrgatho qui sedet altè speculator ac veritatem suâ mente divinat: is ipse vagas captat rationes visionum sibi mirè transcendentalium.

1. Nec Mendacium tam est effrons ullum, aut Opinio tam amens ulla, ut non suas aptet, suas argutet rationum ratiunculas.

Digitized by Google

2. Quin Scepticismus demum ipsam dissensionum consensionem in id quòd nil sciatur, nempe tanti paradoxi tantam rationem, ostentat.

3. Cur verò? IN essendo quantum sit, etsi parum videant; tamen AD essendum quantum esse debeat, quaerunt. Ideo sese angunt, et pangunt discordem concordiam.

§. XLI.

Est enim illa RATIO eadem & maxima Universi & minima pulvisculi: est eadem & altissima Dei & ima aranei: eadem in lambertino mundorum solarium sole, et in stillâ roris qua viviscit rosae foliolum.

§. XLII.

Illam RATIONEM rerum omnium unam qui vidit; is palam vidit illud, quod aeternò quaerunt sophi, PRINCIPIUM veri et boni.

Nam inter me et alios, quin inter me et mundum, en harmoniam RATIONIS divinitus tantam, quantam oculi et lucis, quantam inter vitam et auram vitalem.

1. Ideo nec TETE civem verè cogitas, nisi in vivâ harmoniâ Civitatis, nisi in vivo suspiritu patriotae herois.

2. Ideo nec TETE hominem verè cogitas, nisi in vivâ harmoniâ Humanitatis, nisi in vivo miserationis etiam silenti patho.

Digitized by Google

3. Ideo nec TETE mundicolam verè cogitas, nisi in vivâ harmoniâ Mundi, nisi in vivo illo numinis erga omnia sensu.

§. XLIII.

Et hanc nativam ac divinam quia nescierunt sophi RATIONEM, en mente altissimâ usque luditur omnis & errorum olympus & terrorum tartarus: en, hos inter, hunc orbem terrarum, hunc fanaticae ac furialis GLORIAE rapidum circum, cui praesidet MENDACII jam divini effera tyrannis, et in quo, splendens ornatu ARTIS insano, ridens INGENII mille vultibus, vecta ludicris miseriis, VITA HUMANA ruit.

1. Nam etiam te, te o Libertas, in vanum colimus: etiam te in vanum adoravi, mei & sanguinis quovis ictu & pectoris quovis suspirio & miserationis quavis lacrimâ & spei animoso risu, inter nivosas rupes, inter aestivos flores: te, te, cum qua laetantur tuguriola et serenior celsa coepit meditari colonus: at sine qua contristantur palatia, quia te procul nihil sunt magnates nisi mirè decorata jumenta, nihil terrarum domini nisi pomposi muliones, nihil demum gentes ipsae nisi vilissimae pecudes, aureis istis sceptris velut magicè actae, jam in pastionem, jam in lanienam.

Digitized by Google

2. In vanum, in vanum etiam te colimus: te, sine RATIONE, tartaream umbram. In qua, pro almo terrarum orbe, jam ecce novum terrorum orbem: cujus horrendè fulgurat sol ferreus in ligneo suo AEQUATORE.

3. Et huic Libertati bene hercle certant millies milliesque mille pannucei reges: certant, non lumine, sed igne.

§. XLIV.

„Illam universalem RATIONEM rerum divinam & ego tecum admiror: sed erit illius tamen haec tota VIRTUS nil nisi quaedam divina mathesis UTILITATIS.“

Omnino. Sed contrarium hujus matheseos cogita: transcendentiam inutilitatis seu moralem DONQUIXOTISMUM.

1. Nunquam defuit huic vesano mundo fanatica virtus, mens altissima, magnus impetus ille prisci et barbari heroismi. Et hujus audin ubique horrendos clamores: OPORTET, OPORTET.

2. Ferocem igitur ac ferinam non quaerimus VIM AC VIRTUTEM, quantumvis autocraticam; sed quaerimus divinam RATIONEM. Et haec, haec semper defuit huic vesano mundo.

3. Ideo liberarum civitatum ecquaenam exstitit unquam sine VIRTUTIS mille miraculis? at in liberâ civitate nullâ tantum fuit RATIONIS, quantum in alatâ molâ.

Digitized by Google

Stat enim pro ratione VOLUNTAS.

4. En tibi ergo istos pueros altitonantes. Virtutes vanâ putant mente, non verâ computant ratione: libertatis dominos dominatur SORS AC FORS: et quos hodie adorant evectos, eos cras exsecrantur enectos: dum horridi trepidant inter curias et curas.

5. En POPULUM suspiciunt: PLEBEM despiciunt, populi vim ac vitam.

Itaque pereunt centeni copiâ: ut pereant myriades inopiâ.

Aut, ne pereant homines caeligeni, ruunt in belluina bella.

6. Et ubique Naturae legem, harmoniam rationis, PROPORTIONEM, hanc justitiam realem ac vivè divinam, disperdunt isti perditi perditores per sua PACTA liberè vesana: etsi palam iisdem irritis sacramentis mox fiet elusus elusor, raptus raptor, praedo praedonibus praeda.

7. Laetos autem interea si admiraris clamores, non minus tamen amentes.

LUXUM: artem aeternae inopiae, qua reges mendici sunt et mendici reges videntur.

CIRCULATIONEM: gurgitis omnia vorantis.

ACTIVITATEM: furoris.

Digitized by Google

Artes elegantes: ut nihil non sit magicum.

Culturam: segetis, in guttulas venenosè nectareas: et hominis, in daemonem aliis, in idolum sibi.

En ista omnia nunquam sine altâ mente, sine mirâ virtute, sunt: at semper sine RATIONE.

§. XLV.

„Datur igitur, sicuti mens, ita etiam virtus irrationalis et irrita?"

Talis fuit virtus fere omnium temporum celebratior omnis.

Nec solummodo in religionum libertatumque circaeis circis, sed ubique, nil fere vides nisi miracula virtutis: at sine ratione.

1. Nam etiam terrarum domini, quorum decantatur barbaria tyrannica, en tamen omni aevo ingenia clara tutantur adversùs rabiem doctam: en omnium primi novas ideas admirantur: adeo, ut huic etiam, quae nunc anceps ac praeceps irruit, huic distortae ac minaci, huic gallokanticae mundi faciei, quia ingeniis placere videtur, tantum non arrideant.

2. Gentes autem ipsae, quum sese omnibus omnium furiarum devovent horroribus: en vel pro diâ religione suâ id fit,

Digitized by Google

vel pro almâ patriâ, vel pro honore, lumine vitae: ergo, pro DEO, pro LIBERTATE, pro GLORIA.

3. Et quisque demum sibi, per ardua laborum ac dolorum, ecquid optat nisi OPTIMUM?

4. Nec trucidat homo, nisi vel neglectu ferinus vel furore.

5. At sui compos, en trepidat fur in actu molliter pedem figens, anhelus vix tamen spirat, cuncta lenissimè peragit, o quid ille non voveret, ut is, cui eripuit, ereptum ne sentiret unquam. Adeo eum tenet amor purus BONI.

6. Quid igitur? mortalium tu nunquam invenies tam vilem ullum, ut non sibi suo sensu pulcra deamet, gloriam anhelet, caelestia velit, atque suam spiret tantillus divinitatem. Nam optimum habet animum: ignorans optimam rationem.

7. Ergo verissimè definiretur homo, non animal rationale sine VIRTUTE; sed animal virtuale sine RATIONE.

§. XLVI.

Nec enim vulgò quisquam aut rapitur cupidine aut angitur moerore, nisi quia nesciat, QUANTUM id sit, quo se sinit rapi et angi.

Digitized by Google

1. Ideoque miserrimos qui sese nunc putant dum nil computant, ii saepissime viderent, initâ ratione, SUPRA se centenos at INFRA se myriades.

2. Quin illud, quo cares, bonum, ipso actu quantum est? tibi NIHIL: illud, quo gaudes? tibi OMNE.

3. Et eâdem igitur mentis amentiâ, nempe, idealiter putando et non realiter computando, nullae sunt vel fictiones privatae vel factiones publicae vel revolutiones demum ipsius furoris, ubi non arduas mireris virtutes, at sine RATIONE.

§. XLVII.

At vera illa virtus, quid? nostra observantia divinae rationis. Et ratio illa? evidentia TANTI — & in essendo & ad essendum, eadem igitur & theoretica & practica: sive, ubi nostra dicitur ea ratio, DETERMINATIO ipsa, quantum ubique sit et quantum ubique esse debeat: utroque respectu eandem vides mathesin actualium divinam.

1. Jam quia indeterminatum nihil est, praeter ipsum NIHIL; ideo ratio datur transcendentalis nulla nisi nihili ad nihilum; sed est omnis ratio & objecti cujusque necessaria & actu observata.

2. Verè igitur non minùs ridiculè dicitur Ratio mea, tua, quàm diceretur Mathe-

Digitized by Google

sis mea, tua; Astronomia vel Musica mea, tua; Veritas mea, tua.

3. Unde patet, & Rationem & Virtutem esse practicè discendam, nativo experimento, in rerum constitutione objectivè divinâ: nec in MEDIO rigido virtutem inveniri, sed in TANTO harmonico: quin lineam, sicut pulcri, ita & veri & boni, dari. Patet, omnem demum SANCTITATEM & scientiae & conscientiae nullam esse nisi mathematicam. Qua sanctitate attenditur omnis ubique ratio TANTI usque ad MAXIMUM.

§. XLVIII.

„Et quid erit igitur Philosophia?"

Vulgaris illa id, quod semper fuit, semper erit, SOMNIUM somniorum: seu cuique somnio Wolfiana illa existentia, nempe, complementum possibilitatis.

At si, non transcendentalem aliquam phantasiae visionem,. non idealem mentis amentiam, intelligis; sed veram philosophiam, en id erit, quod palam vidimus. Et quid igitur? illa nativa forma sciendi: illa determinatio, quantum ubique sit et quantum ubique esse debeat: ars ipsa veri et boni: ars RATIONIS: archimetria, pantomathesis, seu mathesis actualium illa divina: verè scientia scientiarum, quia scientia formalis una materialium scientiarum omnium.

Digitized by Google

§. XLIX.

Cur verò tota haec determinatio nova?

1. Tale, etiam amentissimi vel mendacii vel somnii, tamen tale vi Fati est verissimè; sed quantum sit in quocunque respectu, atque TANTUM esse, id nostrae unicè Numen dedit attentioni.

2. Nam est omne tale nobis velut Potentiae divinae chaos illud immensè varium ac vagum: TANTUM autem velut Sapientiae divinae illud fiat lux. In qua luce patet illico universi operis & facti & faciendi ratio, modus, harmonia, ordo, genuina salus ac decor ille nativus.

3. Tale undique et usque, sine fine, sine modo, irruit in sensum, obruitque mentem: sed TANTUM ratio est vera et divina omnium una. Ideoque in tanto uniuntur Sensus et Ratio: quorum dium conjugium fuit, non chasmate Naturae, sed chasmate Philosophiae, tamdiu vesanè diruptum. Eſt verò tale, sensionis: tantum, attentionis. Illud, cujusque: hoc, sapientis.

4. Ergo is antiquae sapientiae deus, quid agit? γεωμετρει: materiam non creat, sed format. Et est formarum omnium forma, idearum idea, conceptuum conceptus, TANTUM: XIII. 3.

Digitized by Google

5. Idque adeo palam, ut nec ulla sibi constet experientia nisi TANTO. Nam HOC, seu ipsam individui evidentiam et realissimae demonstrationis MAXIMUM, nunquam nisi definitissimè TANTO verè intelligimus: XIV. 3.

6. A mente igitur amenter petitur EXPERIENTIAE possibilitas; quae possibilitas ne cogitari quidem potest, nisi vero actu, in sensionis TANTO. Tolle sensum, jam nihil sentis: tolle TANTUM, jam & sentiendo infinitè vagari licet. In qua vagatione en ignotissimam illam naturam ERRORIS: palam & physico & grammatico sensu: III. VIII.

Ubi verò TANTUM definieris actu et hoc tantum tibi habeas ratum, jam quidnam esse poterit irritum? Nam a mente quidquid fingitur, tamen & mendacii & somnii hoc tale tantum erit & verissimum sibi & certissimum nobis.

7. Quid igitur? in ratione TANTI latet vis experientiae, forma sciendi, principiorum principium.

At nimirum quaerimus in quocunque respectu QUANTUM? quantum rei? quantum dati? usque et ubique. Quidquid unquam sit in cognoscendo dabile, id illico, et saepe attentione subitâ, ad suam redigimus rationem TANTI.

Digitized by Google

8. Nec enim divinitus ille sensus sentit nisi rationaliter: seu, nil sentitur sine ratione. Sed haec ratio itidem divina dati, haec ratio TANTI, adeo non attenditur, ut etiam sublimior videatur vaga somniatio entitatum activitatumque, quasi transcendenter a mente, etsi nil sit nisi phantasiae saepe relusa illa summa adumbratio rerum.

Jam autem expertior divinam SENSUS rationem cernit: MAJORA sensim discernit: et ad MAXIMUM usque demum sapit.

§. L.

Hinc non solummodo PLUS et MINUS ubique possumus notare; sed ipso actu TANTUM et harmonicam rationem TANTI, & IN essendo & AD essendum, & theoretice & practicè, sibi notat Ars vera omnis.

1. MAXIMUM autem regula κατ᾽ εξοχην & veri & boni & pulcri, vel in minimâ harmoge pictoris, atque regularum omnium regula, tacito judicatur sensu.

2. Nam SENSUS divinus idem divinam rerum ubique RATIONEM, attentione mathematicè sanctâ, & intelligit & vult: & vult, ne ruat OPTIMUM et PESSIMUM irruat.

Digitized by Google

3. Ac ideo Naturae numen silens nos tangit delicio, nos angit dolore, ut harmoniam sensim edoceamur TANTI AC TOTIUS: in qua demum harmoniâ dolor ipse ita in salutem mollescit ac dissonantia domita in melos.

4. Non est enim RECTUM, nisi harmoniae: nec nisi unum est regimen RECTI.

QUANTUM? in essendo et ad essendum, in harmoniâ et ad harmoniam? id, non vagè datum, sed certò ratum, constituit illud & in vero & in bono RECTUM. Nisi ad OPTIMI rationem tu FICTUM optas, non FACTUM: phantasiae nutum, non verò Naturae numen: et UNIVERSI, non salutem, sed ruinam.

5. Ergo discute illud brutae mentis vigil somnium. QUANTUM scias, vide. Non puta, sed computa: non existima, sed aestima. Ac tandem

Sapere aude.

HORAT.

**** Religionis axiomata, passim allata, nonnisi* ανθρωποπαθως *olim dicta fuisse patet.*

Digitized by Google

Cap. II.

F i d e s.

§. LI.

Jam antiquitus mortales ea, quae minimè sciebant, maximè credebant.

„Credere, quae nescias: argutè dicitur, an etiam verè?“

Id quod scis, tamen credere non diceris, sed scire.

Quantum ergo scis, dum credis?

„Credibilitatem rei scio.“

2. Quid est hoc? Rem enim aut scis aut nescis, in aliqua ratione TANTI. Credibile autem est quidquid ita videtur.

„Et quidquid videtur, EST: nam NIHIL videri nequit. III. 3.“

EATENUS ac videtur. III. 3.

Digitized by Google

3. Et QUANTUM ergo videtur credenti?

Nil palam nisi VERISIMILE illud, cui fidit eatenus, quatenus vero est simile.

4. Nam fidem non in teste solo quaerimus; sed in quacunque specie.

5. Quantum ergo verè videtur credenti?

„Similitudo: et similitudinis PLUS vel MINUS.“

§. LII.

Vides demum, non aliter credi, quàm sciri, quidquid novimus. TANTUM enim similitudinis nonne objectum erit itidem reale, itidem verissimum, ac si vel ipsi Deo ita videretur? Ergo eam similitudinem non credis, sed scis.

2. „Et ecquid jam credere licet?“

Nihil. Nam aut scis aut nescis, in aliqua ratione TANTI. Ergo credere tibi licet nihil; at scire, quidquid scis.

„Id hercle palam ita videtur: ac laetor, credibilitatis aliquam dari certitudinem, et meae me opinionis habere scientiam.“

At QUANTUM ergo fit eà certitudine credibile: quantum eà scientià opinandum?

3. Nam & Alcoranum increatum, aeternum, e septimo demum caelo delapsum, ubi summi dictitant doctores, tu ita credis: ita esse nescis. Nec aliter ubique.

Digitized by Google

Quid ſit opinatum, ſcis: quid ſit opinandum, neſcis.

4. In iſto contracredentium chaotico mundo, QUANTUM ergo verè ſcis? id unum: ita graviſſimè doceri: ita leviſſimè credi: ita & hos & illos fidentiſſimè OPINARI.

5. En igitur, usque et ubique, superſtitionum antiquum horrorem: auctoritatis adyta innumera: poëtica ingeniorum illudia: grandium vocabulorum inanem pompam, abſtractionumque mythoſophiam: paedantiſmi tartareum faſtum: enthuſiaſmi olympicos furores. En, usque et ubique, oracula oraculis „reboant raucum retro bombum“: et idola idola diffulminant. En veſano dominatur mundo iſtius tandem divini mendacii tam varii unus ERROR AC TERROR.

§. LIII.

„Omnino patet: immenſum credi, et perparum ſciri. At ecquantum jam ſciſſimè credens verè ſcit?“

Similitudinis TANTUM. Quae ſimilitudo res eſt veriſſima: et, miris incluta nominibus, jam ſat altè ſpecies, altiùs analogia, altiſſimè auctoritas, ubique celebratur. Hujus, inquam, ſimilitudinis TANTUM.

Digitized by Google

2. Unde verò dilucet, ipsam rem creditam non sciri, sed solam verisimilitudinem: ergo, universalem formulam concordiae ad universalem fidem esse MATHESIN PROBABILIUM, in omni & Facto & Faciendo.

3. Credere, quae nescias: id ipsissimum illud est vigil somnium, quo, quantum scias, negligis, ideoque in infinitum poteris errare. III. VIII.

Atque statum verae fidei si hoc instabile somnium cujuscunque erroris vocas; jam ecce nobis fidem sine fide, id est, sine probitate. Isthuic enim infidae Fidei ecquis velit fidere, nisi amens?

„Argutè hoc arguis: an etiam verè?"

Verissimè.

4. Nam quidquid nunc, ethnicè, muhammedicè, catholicè, maximae gentes maximè credunt, id omne minimè sciunt. Palam igitur teſtantur fidem summè infidam. Ostentatque sollenniter orbisterrarum, sicuti Rationem sine RATIONE, ita Fidem sine FIDE.

§. LIV.

Est enim vera FIDES, non vecordia ea, qua nihil non creditur; sed ratio ea, qua tutò creditur.

2. „Et quaenam ea ratio?"

Digitized by Google

Illa omnium una: TANTUM. Nam hoc ubicunque statuis, nunquam erras: et hoc dum statuis, tutò credis, quiá verè scis.

3. „Nimirum ita nil credo."

Nil palam ita credis; at scis, TANTUM esse vero simile, in quacunque vel specie vel analogiâ vel auctoritate. LIII.

Scis igitur, non rem, sed rei verisimilitudinem: quam nisi computaveris, nil habes praeter vagam opinionem.

4. Erit autem saepe TANTUM illud, quod verè scis, MAXIMUM: semper ita esto, ubi publicè judicas. XXXIV.

Atque sic demum sibi universalis constabit illa formula concordiae. LIII. 2.

5. Nam est ubique MAXIMUM nonnisi unum.

§. LV.

„Nil igitur erit Persuasio cuique sua: nil ista lux mentis?"

Nil nisi opinionis vigil somnium: nil nisi fax phantasiae, qua faex hominum fanatica, doctarum nutu anuum, usque circumerrat.

2. Nam est vera nulla RATIO alia, quàm rerum divina: et vera nulla FIDES alia, quàm publica mundi. XI.

3. Ergo ii, qui suam sibi fingunt Rationem et suam sibi fingunt Fidem: ii maximè sunt & irrationales & infidi.

Digitized by Google

4. Id quod maximè dilucet in eâ divinâ voce, qua omnis & ratio & fides, nativo sensû, continetur: PROBITAS. Probum enim nil est, ni sit idem & rationale & fidum. Probum nil est nisi TANTUM & in judicio & in officio, TANTUM & in essendo & ad essendum. XI. XII.

5. PROBITAS igitur, ubique rationi fida, & scientiam habet & conscientiam divinitus eandem: XXXVII. Atque probitati & ignarissimae & sapientissimae commune idem lumen est: EATENUS, seu scire QUANTUM verè scias. Quod universale lumen probi mundi si demas; en illico somniorum omnium nox irruit et antiquum horrorum chaos; en mox inde, contra TANTI rationem ac TANTI fidem, in immensum & olympicas fictiones & factiones tartareas.

6. Hinc sine PROBITATE ubique dominatur illa sacra vesania liberè credendi. Illa vesania credendi — maximè ea, quae minimè scias. Veluti bruta licentia omnivagi somnii: etsi saepe non sine summo ingenio mentis altissimae, id est, non sine mirâ vi vividae Phantasiae.

7. Nam sine PROBITATE, sine ratione et fide, ecquid non licet? et ecquid non libet?

Digitized by Google

§. LVI.

Quid igitur?

Tantum — verè scitur: et est ipsa ratio evidentia tanti. Jam ultra tantum illud, quod verè scitur, seu sine ratione, judicare: id vocatur credere. Ergo non solummodo Rationi est oppositum sed & omni Fidei contrarium, credere. Nam credens teſtatur palam, se scire id, quod minimè scit: palam igitur mentitur. LIII. 4.

2. „At mentiri, sui mendacii nescius, ecquis poterit?"

Etiam trucidat barbarus, tamen sui nescius criminis. Eodem, ac saepe sublimi, somnio brutae mentis, & hoc fit & illud.

3. A mente licet amenter credere: a sensu sensatè scire. Ex illâ vigil vagè somnias: ex hoc verè judicas. Id quod illico patet, simodò putare et computare, existimare et aestimare, discernantur, et attendas, nil esse probum sine ratione tanti.

4. Quin & si verissima credis, tamen id fortefortunâ fit, non tuâ probitate: nec tu ita fidens minùs infidè agis.

„Et contra quem infidè?"

Contra & sese & homines & Deum: id est, contra divinae rationis divinam fidem, seu naturae sanctissimam veritatem.

Digitized by Google

5. Nam ex hac, omnium primâ, religione ATTENTIONIS: quantum credere liceat? quantum verè scias? ex hac incipit conscientia, cujus tota vis est scientia; incipit probitas, cujus tota vis est probatio; incipit humanitatis & ratio & fides.

6. Quatenus igitur non brutae mentis vigili somnio ruit homo, quatenus in fide agere potest infidè; eatenus nunquam TANTUM dati, seu divinam rationem, transcendit sine CRIMINE; immo nec sine horribili antitheismo fidentiae suae contra fidem Dei, in luce publicâ mundi et actuali ratione ubique sancitam.

7. Adeo, ut non aliter demum sibi opponantur CREDERE et SCIRE, quàm omnino mentiri et sentire: a mente, et sensu: a phantasiâ, et phaenomeno.

Nam est MENTIENDI & vox et res a MENTE.

§. LVII.

„Ergo jam historicam tollis fidem omnem?"

TANTUM verisimilitudinis — non tollo, sed maximè adsero. Quin & universalem concordiam Fidei molior in reali MATHESI PROBABILIUM. LIII. 2.

Nec tu credas me credere, MEMORIAM sensuum divinam esse non sanam ideo,

Digitized by Google

quia mentem seu phantasiam dico vesanam.

2. Distinguas enim, ipsâ nominum clarâ notione: reminisci et eminisci. Illud vero ſit sensu: hoc vanâ mente seu vago phantasiae lusu.

Immo quantumlibet sit mentis mendax fabula; tamen semper verissima erit memoriae tabula.

3. Est igitur MEMORIA velut in nobis Natura: et SENSUS velut in nobis Deus.

4. Mens autem omni-somnians, id est, sublimior illa phantasia, liberrimè trans Naturam vagatur ac rerum divinam veritatem altè ſpernit: nec reminiscitur, sed eminiscitur.

5. Id quod multò clarius dilucet, si nominum ipsorum notione, est enim nomen velut novimen, tibi 1. actualis perceptio: 2. memoria: 3. phantasia — dicantur 1. sensus: 2. resensus: 3. vesensus, id est, 1. vivè: 2. redivivè: 3. aliter, aliter, quàm in sensu, EADEM objecta nobis data.

6. Tum verò patet, sensu et memoriâ nobis constare FACTUM: sed phantasiâ variè vagari FICTUM. Quin patet, nonnisi FICTUM credi: FACTUM sciri. Nam fictum nil est nisi eatenus, quatenus non redactum ad suam rationem TANTI. In qua ratione fictum

Digitized by Google

illico fit **factum**: et ipsum adeo mendacium fit verissimum. Datur enim nil nisi verum in suâ ratione TANTI. VII.

7. Jam hanc FACTI memoriam equidem sanctissimam judico: sed FICTI mentem vagè variam, sicubi nec fingere licet nec mentiri fas, amentiarum omnium archimagam esse vidimus. XVI. etc.

§. LVIII.

„At FACTI memoria illa tibi sanctissima, nil tamen in actuali historiâ erit aliud, quàm ubique similitudinis TANTUM?“

Nil sane aliud. Nam in quanam vel specie vel analogiâ vel auctoritate aliud inesse poterit? Et quid inde? nisi hoc palam: ex verisimilibus neminem tutò sapere: speciem, analogiam, auctoritatem vel probatissimam, saepe tamen fallere: ergo, similitudinis TANTUM semper verissimè discerni, at ipsam rem verisimilem non decerni absolutè, nisi temeritate barbarâ. Nec enim scitur quidquam, nisi EATENUS: nec est nisi TANTI divina illa ratio et divina fides. LVI. 6.

§. LIX.

„Et Judex igitur ille tibi maximus cognitor, XXXV: is, omnia discernendo sed nihil decernendo, quid judicabit?“

Digitized by Google

Is humanae cedit Necessitati. Itidem unusquisque, ubi agendum est: vel, ubi ad quidquam decernendum cogit vis altior.

2. At nunquam tamen heic abest aeterna illa humanae scientiae umbra: oppositi formido.

3. Quid igitur?

Nunquam statuendum, quidquid corrigere est nefas. Nunquam decernendum id, quod, sapientior deinde, novo decreto reparare nequeas. Nunquam sit mortalium caesar ullus eòusque decidendo caesor, ut non forsan malè informatus poterit meliùs informari. Est enim humanae, humanae integritatis, posse in integrum restituere. Cur verò? nam est humanae partialitatis, nonnisi partialia videre.

4. Unde patet, cum ratione verâ et verâ fide nihil sanciri nisi conditionatè, nihil nisi hac solenni legum omnium lege, QUATENUS nunc liqueat: atque poenas ideo nullas esse humanas, nisi negativas omnium degradationum, ita ut usque possit sententia non recta corrigi.

5. At plane contrarium nullo non vides aevo: nimirum, barbarè credendo et barbarè audendo, id est, barbarâ fidentiâ sine fide, cuncta judicii humani tribunalia in praecipitiis collocata: ita, ut quidquid unquam

Digitized by Google

damnaretur, id illico rueret. Nec aliud fuit justitia immanis ea, quàm ipsius crudelitatis velut sacramentum.

7. Istam-ne tu tibi optas credendo publicam fidem?

„Neutiquam. Est enim, te auctore, omnis optio OPTIMI.“

Et saepissime tamen sine OPTIMI ratione.

§. LX.

Jam igitur, si Fas erit, quidlibet statuere suâ fidentiâ, non rerum divinâ fide, et suo nutu sine numine: si Fas erit, omnia decernere, nihil discernere: omnia putare, nihil computare: omnia existimare, nihil aestimare: id est, quidquid libet, ratum habere sine ratione, et ubique judicare sine judicio, conscientiam ostentando sine scientiâ — o tum quid erit FIDES publica mundi, nisi amentiarum omnium chaos, cui dominatur illa sacra vesania liberè CREDENDI.

2. Et illic demum, cur non ipsis doctoribus Fas erit, docere sine documento: sententiam ferre sine sensu: nullam dare speciei specimen: nec adeo FACTUM discernere et FICTUM, aut COGITARE et SOMNIARE: sed suam altè ponere et imponere THESIN?

3. Nam credulo non minùs indifferens est, quid capiat, quàm asino capistrum.

Digitized by Google

§. LXI.

„At ipsam rem tamen credibilem omnem non possum non credere.“

Illam rem tu necessariò — non credis, sed suspicaris.

Nam ex verisimilitudine cuique licet rem, non ita esse credere, sed ita esse posse suspicari. Unum illud, quod jam verissimè ita esse constat, TANTUM est verisimilitudinis.

Differunt igitur CREDERE et SUSPICARI, quantùm usquam a' vago impetu brutae mentis differt divinae rationis divina fides, in actuali TANTO sancita.

Credunt fanatici & illusores & illusi. Credunt & impostores & ii, quibus imponitur. Credunt nebulones, et nebulonibus creditur. Credit sibi audax omnis AMENTIA: et credit cuique trepidans omnis STUPOR.

4. Sed cautè suspicando repertae sunt artes verae: repertum est omne illud in humanâ scientiâ divinum.

5. Dum suspicaris enim; discernis, non decernis. Dum credis autem, decidis, a de et caedere; decidis turcicè, feritate barbarâ: decidis, vel ipsius LUCIFERI altâ mente, maximè credens ea, quae minimè scias. XXXVIII.

6. Et sic demum, pro mundi publicâ FIDE, en omnipotentem omnium in omnes FRAUDEM. Creditur, usque et ubique, sine Fide. Itaque ruit, ruit humanum genus istâ sacrâ vesaniâ liberè credendi, et per omnes horrores nihil non tentat irritum sine RATIONE, nihil non credulum sine FIDE.

§. LXII.

Est igitur errorum omnium error et scelerum omnium scelus, ea CREDERE, quae nescias; id est, credere ultra TANTUM dati, ultra divinae rationis divinam fidem.

2. Non enim scitur nisi TANTUM. Hujus est divina RATIO: et rationis divina FIDES. Utramque illam & rationem & fidem, scientiae conscientiam, judicii officium, ac reale demum rationis dictamen, continet PROBITAS. LV. 4.

3. Nam est Probitas, a probando, ipsa illa scientiae conscientia seu sanctitas, qualis in Mathematico aut Judice, maximis probatoribus: seu, illa severae artis antiqua sanctitas, qualis in Architecto, Musico, Pictore. Unde tu illam illorum tam vividè admiraris, uno unius TANTI momento, & rationem & fidem: illam religiosam & in judicio veritatem & in officio sublimem OPTIMI optionem: illam, sanctissimè probando, divinam Probitatem.

Digitized by Google

4. Et haec est illa omnium una virtutum virtus: XXXVII. XLVII. 3. L. 4. Nam irrationales et irritae virtutes, quantumlibet fanaticè altissimae, destruere poterunt, non construere, mundum. XLIV.

5. Nec erit unquam, vel Deo, vel bono viro, alia conscientia quàm scientiae sanctitas, alia FIDES quàm sanctitas RATIONIS.

Contra quam & RATIONEM & FIDEM, actualem, aeternam, objectivè divinam, omni aevo suam ostentarunt sophi & autodoxiam & autonomiam a mente amentem. Ostentarunt suam suae fictionis et factionis horridè variam AUTOCRATIAM, contra illam universalem, illam omnium unam, PROBITATEM.

§. LXIII.

„Et hujus igitur PROBITATIS vellem videre praxin.“

Videbis facillimam, sed artium artem. Simplicissimam pulcritudinem esse tamen summam, non ignoras: unum esse MAXIMUM, sed arduum. Lucem cogita: et Caelum. Illius tamen nos nobis imitamur claritatem: hujus magnitudinem.

1. Exemplum en ergo primum.

FIAT JUSTITIA, PEREAT MUNDUS.

Verè forsan. Si daretur justitia supra mundum. Si daretur quidquam supra Omne. Si daretur alia Ratio quàm illa divina TANTI,

Digitized by Google

vel in essendo vel ad essendum: XI. XII. XXXIX.

2. Nunc autem effatum illud quid est? nisi Fatuitatis humanae NON PLUS ULTRA. Hoc enim dicitur:

fiat ratio, pereat ratum:
fiat melodia, pereat melos:
fiat Officium, pereat Faciendum.

seu magis ad scholam:

fiat essentia, pereat ens:
fiat quantitas, pereat quantum:
fiat Ars, pereat Opus.

palam igitur hoc:

fiat idea, pereat res.

id quod ultimò dicit:

fiat MINIMUM, pereat MAXIMUM. VI.

3. Fanatici tamen monachi talia olim declamabant non omnino amentissimè: dum justitiae illam aeternitatem contulerint isthuic mundi momentillo. Nec enim, in isto saeculo plumbeo, videre poterant amenter visionarii: eâdem sibi constare omnium unâ RATIONE Deum et Monachum, aeternitatem et momentillum. Unde verò patet, eos, qui aeternò esse volunt optimè, sed ad essendum quid actu ratum sit nil curant praeter istud axioma, tandem hoc dicere:

Ut sibi constet UNIVERSUM, UNIVERSUM ruat.

Digitized by Google

4. Nam ipsam istius justitiae vel rapidissimam ideam dum cogitas; tamen haec sola idea, ut esse IDEA verè possit, innuit illico subliminiorem illam Phantasiam, seu Visionem intus, Mundum, Actuum et Reactuum omnem Relationem. Ni altisonum tu cogitas VOCABULUM sine sensu, et ad summam transcendis inanitatem rerum omnium. Est enim, sicut nihili nihil, ita vel purissima FORMA tamen FORMATI. Undè musices vel minima idea illico & auditum, & sonum, & tanti rationem, & mundum sibi tonorum, innuit. Nec aliter idea quantilla omnis actu sibi suum innuit UNIVERSUM.

5. Ac dum palam nobis nulla micat pulvisculi nitella, nisi Universi harmonici divinâ RATIONE illâ unâ et omni; ecquidnam in humanâ vel vitâ vel virtute sibi constaret aliter? XXII. XXXVII. etc.

6. Ideoque justitia, ni sit illa ratio harmonici UNIVERSI rationumque ratio, ni sit ipsa lex TANTI ac TOTIUS, lex MAXIMI ad essendum, vel ipse rigor divinae RATIONIS; nil erit nisi cujuscunque fanaticae factionis fanatica fictio, cui trifanaticum additur OPORTET. XLIV. L. 4.

7. Est autem illud in hac quaestione maximè mirandum: VOLUNTATEM in rerum

Digitized by Google

Naturâ omnem, ad vivum usque monads, per illam divinam rationem rationumque rationem, necessariò statum optare optimum UNIVERSI.

8. Dic enim vel abjectissimo nebuloni: hanc villam, urbem, patriam suam, tellurem, ac mundi compagem, esse cras ruituram: et usque magis horrescet. Dic eidem: gloriam istius herois, istius regni, heri totam ruisse: et, miserandi nescius, altè contemnet.

Quin & plebeja vetula ingentem intus ridet mundi vanitatem, dum vulgus decantat: sic transit gloria mundi.

At econtra vel minima idea BONI PUBLICI, conservatrix aut destruens, o quot excitat verè divinos furores: quia sese divinitus quisque videt in TOTO. XLV. 2.

9. Ergo tandem ubique patet, verissimè non dari, nisi unam omnium RATIONEM, nec nisi unam omnium VOLUNTATEM: utramque divinam divinae justitiae, id est, PANHARMONIAE, plùs minùs intellectae.

§. LXIV.

Jam in ipso rerum actu videamus Exemplum secundum.

MARCO BRUTO AN JULIUS CAESAR OCCIDENDUS?

Digitized by Google

En illico autodoxia stoica, autonomia heroica, autocratia fictionis brutinae et factionis patriciae, velut voce Jovis altitonantis, jubet: fiat!

2. Sed ratio TANTI divina quaerit, usque ad MAXIMUM:

QUANTUM liceat in hominem homini, in civem civi? et idem in millenos usque Brutos, in millenos Atticos et Cicerones, an eodem jure liceret?

QUANTUM verè sit crimen, populi furorem in patres, non in patriam, armasse quidem, sed nunc sui numinis nutu domari: quo furore alioquin ruisset salus omnium omnis?

QUANTUM ergo pro hac antiqua libertate faciendum? et quantum pro illâ publicâ fide mundi patiendum? nam fortiter & facere & pati, romanum est.

3. At MARCUS BRUTUS vagâ sublimitate, abstractè et absolutè, sicuti nunc Gallorum sophus ille vagus vaga diviné sentiens, BRUTUS, inquam, stoicè summum bonum cogitavit, non MAXIMUM boni: summum jus coluit, non MAXIMUM juris: summam summae virtutis umbram vidit hanc, Tyrannum occidere fas, non autem maximam maximae virtutis, Probitatis, legem: QUATENUS? XXXIII. 6. XXXIV. 3. XXII. etc.

Digitized by Google

4. Nec si, non aliter quàm in mundo ubique, ita in omni arte, quaedam occurrunt ardua et ancipitia, ideo indignemur illam sanctissimam rationis divinae mathesin; sed rerum potius admiremur infinitam varietatem.

§. LXV.

Exemplum tertium.

Mentiri nefas.

Antiquissimè, sicut novissimè, hoc declamatur. Nec minùs tamen heic Probitas, rationi fida, suum intonat: QUATENUS? Nam etiam trucidare nefas: et saepe tamen fas.

2. At mentiri si liceat unquam, tu illico veritatem annihilari putas omnem. Ergone lucem tibi dum exstinguis, lucem ideo mundi velis annihilare? et ignem dum exstinguis, frigore velis cuncta perire? adeo, ut ob hunc divinum horrorem nec incendia horreas. O fatuitatem altissimam. Ille, qui mentiendo homicidium vetat, veritatem non annihilat, sed verè annihilat annihilationem. Nec is veritatem hercle magis tum cogitat, quàm vesperi sibi lucem exstinguens lucem cogitat mundi.

3. Et ipsam demum veritatem NIHIL esse, ubi res veras ubique perdi sinas, eccui non patet?

Digitized by Google

4. Quantumvis enim veritas tibi sancta sit, tamen veritatem infinitè superat EXISTENTIA: cujus nota ratio est illa veritas.

5. Quid igitur? mentis haec sublimior amentia, quam vocant Philosophiam, nullo non axiomate suo, omnem, si posset, & RATIONEM & FIDEM annihilaret verissimè. Id quod omni aevo tentavit adeo, ut ni summos hos doctores plebs indocta superasset reali judicio; jamdudum periisset & humanitas & humanum genus.

§. LXVI.

„Et universalia igitur nunquam sibi constant?"

Nunquam, nisi universaliter. Id quod visionarii non vident.

At sicubi ad SINGULARE veniatur, en illico fit universale illud a mente amenter vagum, ac simul & irritum & infidum, quia sine divinâ TANTI & ratione & fide. Nam indeterminatum actu nihil est, praeter ipsum NIHIL: XLVII, I. Et hinc in vero judicio unum nobis erat praedicamentorum praedicamentum: QUATENUS? ejus enim vi ducimur ubique ad singulare TANTUM, seu ad veritatem vivam rationis divinae: cui unicè a probo viro habetur FIDES.

2. „Atqui jam TANTUM contra TANTUM?"

Digitized by Google

Etiam illic verè discernitur TANTUM: at decernitur nil usquam nisi MAXIMI rigore.

3. „Ita demum vir verè probus nemo poterit esse, ni MAXIMUM in omni suo & judicio & officio videat?"

Ita palam. Nam nonnisi MAXIMO ubique uno sibi constat & omnium Ratio & publica Fides. XXXV.

4. Nec tamen illud MAXIMUM ideo probus quisque reperit; sed Sapientum dia reperta comperit, et indicata cernit; sicut omnes communi utimur luce.

§. LXVII.

Hos autem certitudinis universae gradus RATIO docet summos:

1. SEMPER — omnibus;
2. SAEPE — multis;
3. SEMEL — uni.

Ergo ad mundi publicam FIDEM hos:

1. quidquid humani generis constat verè communi sensu;
2. quidquid peritiorum constat altiori cognitione;
3. quidquid unius magni viri, unius igitur peritissimi, constat judicio.

Ita enim, in illo Naturae ordine: peritus, peritior, peritissimus: en tibi SEMPER, SAEPE, SEMEL, omnibus, multis, uni.

Digitized by Google

Quos gradus, ipsâ nominis clarâ notione, vocare liceat

PROBUM: PROBATUM: PROBABILE.

§. LXVIII.

PERITUS mihi dicitur quicunque sensit et expertus novit: e. g. solem esse. PERITIOR autem, non vulgari experimento doctus. PERITISSIMUS is, qui peritiores excellit vel judicio vel officio, genius aut heros. Et hunc ipso peritiorum consensu nosse licet: sicuti peritiorem quemcunque vulgi voce.

Nempe QUATENUS verè sit consensus. Nam in dissensione ratio ambigitur.

2. Unde patet, in regimine RECTI, nativam esse democratiam peritorum: nativam aristocratiam peritiorum: nativam monarchiam peritissimi.

At patet simul, divinam RATIONEM esse omnium unam, in meritorum evidenti mathesi, ad publicam FIDEM.

3. Nam vulgus mortalium, sicubi altiora, quae actu ignorat, liberè judicaret, ANARCHIA esset mentalis palam: sed clara benefacta mirari potest Peritiorum ac suae salutis per eosdem sentire magnitudinem.

4. Doctis item sicubi se nobilitare invicem, ut nunc fit, liceret, OLIGARCHIA esset mentalis palam: id est, factio potentissima.

Digitized by Google

cui mille ludere fictiones, non ſine vocabulorum portentoſâ pompâ, volupe foret, adorante vulgo.

5. Et magnus vir ille, ni a Peritioribus rigore MAXIMI probaretur, impoſtor quidam ſtupido mundo ſtupendus fieret facillimè: atque ita dominaretur mentali palam TYRANNIDE.

§. LXIX.

„Vulgi voce, ſeu democraticè, magnum virum malè probari, patet: ſed & vulgi voce doctum virum ſeu Peritiorem probari, an magis rationale?“

Dicere, quis verè ſit ſapiens, vel maximè videtur eſſe ſapientis: id omnino conſtat. At palam tibi mortalium nemo verè ſapit, niſi vivo ſuo SENSU: ideoque Vulgus ex benefactis nonne ſapientiſſimè judicat benefactorem et ex ipſa SALUTE verè ſapientem? Ergo, ubicunque vulgus optimè medentem videt, nonne optimum medicum? ſicut in altiori ſanctitate nonne verè theologum videt: in altiori juſtitiâ verè juriſconſultum: in altiori rectitudine omni verè philoſophum: in altiori humanitate verè humanum: in altiori opere verè artificem: in altiori & judicio & officio verè praeſtantem virum.

2. Omnium autem facillimè vulgus ex ipſâ celebratione judicat celebrem: ex famâ

Digitized by Google

famosum. Et haec judicatio in iis, quae PRAXI minùs patent, sat erit: nam & paullum distat inertiae — celata virtus.

3. Nec id omittendum, quot sensus acumine divinos habeat illud saepe mirè nobile vulgus: atque adeo Peritiorum hoc suum SAPERE SUPRA VULGUS, quo eminent, ab ipso vulgo postulari.

4. „Et cur igitur Peritissimum seu magnum virum ex solo peritiorum consensu aestimas?"

Eorum consensu, non solo, sed praecipuo. Magna enim opera et facinora cuncta vel ex effectu vel ex famâ Vulgus quidem noscit. Sed MAGNITUDO tamen ipsa illa, quanta verè sit, nonnisi arduâ comparatione patet. Quin & Peritioribus MAGNITUDO realis omnis usque et ubique adeo fuit ignota, ut quale quidque sit callidè sciant, sed quantum sit, mirè nesciant, in illâ divinâ ratione TOTIUS.

§. LXX.

Ita demum vides, quid sit Ratio? nempe, evidentia TANTI usque ad MAXIMUM: et quid sit Fides? nempe, sanctitas rationis. XLVII. 3. Vides, quid sibi velit antiquum illud: sequere rationem: nempe, rationem divinam tanti ac totius. Vides principium illud summum nobis: rationi

fidus esto: nempe, RATIONI rationumque rationi, id est, vivo numini UNIVERSI.

2. Sed, quoniam sibi quisque numen est et sese intus illico quaerit: Cur sim rationi fidus? jam respondeo: Quia sine ratione Universum ruet. XXXIX. LXIII.

3. Unde verò patet, illud principium summum nobis, vivè si exprimitur, hoc esse: fac tutissimum.

„Fac tutissimum?"

Fac tutissimum: ter maximum illud est principium numinis & divini & humani: in providentiâ & universali & singularissimâ.

Fac tutissimum: in omni & Judicio & Officio: ut ne, illusor illusus, perdendo pereas.

4. At ipsa vis TUTISSIMI est RATIO: ratio illa rerum divina, qua & quantum ubique sit & quantum ubique esse debeat, & IN essendo et AD essendum, dilucet. XII. L, 4.

5. Itaque sine ratione tutum nihil est. Sed TUTISSIMI tamen vox illa vividiùs excitat mortales; qui ruinas horrent magis, quàm aeternam stabilitatem ac omnium divinam salutem admirantur.

§. LXXI.

Illud igitur TUTISSIMUM, etiam summo cum ingenio mentis altissimae, non LUCIFER, ADAM, CAIN, et nullus unquam vel

Digitized by Google

SESOSTRIS vel XERXES, quin palam nec CAESAR nec BRUTUS, cogitavit. XXXVIII.

2. TUTISSIMUM — negligit omnis error et violat omne scelus.

3. INTUTIUS autem nihil est, quàm ignorantia: quàm non curare, QUANTUM scias; quàm illa sacra vesania liberè credendi.

4. Intuta igitur ubique CREDULITAS; tuta SUSPICATIO. Nempe nativo sensu, a susspicere: attentio cauta. LXI.

Quin & universè intutum est quidquid a mente putatur: ultra TANTUM dati; id est, quantillum sit, aliter quàm in sensu. Atque id unicè attende; aliter quàm in sensu. Nam universè intutum est FICTUM pro FACTO: LVII. Ni palam tu vagè ludas, VIII. XVI. 3. LXIII. LXVI.

5. Itaque in praxi pessimè fiditur malis principiis.

Et in Republicâ igitur intutissimè negligitur in PLEBE ista indies gliscens egestatis infamia, qua nihil demum quod perdat habet, ideoque ut aliquid habeat quod perdere possit, nihil non perdere velit; econtra verò intutissimè toleratur inter OPULENTIORES ista indies gliscens luxuriae gloria, qua is, qui plurimum perdit, non perditor videtur, sed publicè dignus qui nihil non perdat.

Digitized by Google

6. Itidem & imperantium illo clementi arrisu intutissimè velut consecratur MORIS omnimoda moria: adeo, ut Ars, id est, ubique OPTIMI certa ratio, suam hanc OPTIMI rationem unam et divinam frustra nobis admirandam doceat.

7. Nulla enim datur FICTIONUM tam sublimium histrionia: MENDACII tam politi nullus fucus et mimus: OSTENTATIONUM tam subdolè modesta nulla collusio: ut non rempublicam pervertat, dum publicam omnem pervertit FIDEM.

8. Ergo levicula & hyperbola, & hyperbolae umbra, illico levat Fidem.

Ac viden ideo, cur ii, qui nil nisi hyperbolas vident visionarii, seu nil nisi abstractionum altè amentium illud UNUM SINE ALTERO, cur, inquam, hi summi sophi, apud eos qui actu sapiunt, supra omnem omnino Fidem semper elati videantur.

9. Nam hercle summè intuta est illa doctoralis amentia omnium abstractionum, tandem in methodum universalem Sciendi, ac veluti divinam imposturam, liberrimè evecta. VIII. 3. XVI. 3. Illic enim nil nisi fictum: aliter quàm in sensu: et a mente purè amens. Ergo nil nisi datum non ratum. XIV. etc.

§. LXXII.

Est autem TUTISSIMI ea vis tanta, ut

Digitized by Google

nec mentis ulla sublimitas, nec ingenii mira sollertia, magis ad securitatem sit probanda, quàm aut fanaticorum ista lux aut nebulonum nebula: quin tanta, ut nec divina virtus ullius vel HENRICI vel GUSTAVI tuta esse poterit, sicubi vel bruticè cuique liceat CREDERE, vel clam clam gliscere sinatur INJURIA.

2. Et in quanam Arte verâ vel minimum vagè LICET? ni palam stolidissimè. In Arte verâ nec minimum judicatur nisi metro MAXIMI, ratione harmonicâ TANTI ac TOTIUS, seu OPTIMI divinâ lege. XXXVII. XLVII, 3. L, 4. Sed in altiori cognitione omni, en Opinionum liberam amentiam: qua luditur et furitur usque: FICTO mentis, pro FACTO entis. LVII.

3. Unde in ipsâ illâ artium arte, in regimine RECTI, nunc regnare videmus amentissimam incuriam illam, qua HUMANITAS in caelum extollitur, sed homines infra bestias negliguntur. O lepida igitur humanitas omnium, ubi quisque liberè brutescit. O tuta salus TOTIUS, ubi PARTES intutae mox ruent: et ex ruinis demum illustrabitur ars iners illa, sine ratione et fide, palam irrita et infida.

4. Ergo, quidquid vel cogites vel agas, jam quaere usque et ubique: an tutò? an

Digitized by Google

tutissimè? Et palam videbis, illud subjectivè TUTISSIMUM esse objectivè ipsam RATIONEM rerum divinam rationumque rationem ad systematis unius panharmoniam.

5. „En en igitur Eudaemonismum.“

Et mavis igitur Cacodaemonismum?

Nam aut summus quidam cacodaemon est, aut imus cacodaemonista is, qui mundi ruinam ridens nec Olympum timet nec Tartara.

Extramundanis autem ingeniis non philosophamur: sed incolis hujus Universi.

6. At isthuic tamen cacodaemonicae altitudini, en sese devovit usque mortalium mens amentissima. Unde furens ubique omnis — HEROISMUS, STOICISMUS, MARTYRISMUS, MONACHISMUS, DON-QUIXOTISMUS, RAVAILLACISMUS. XLIV.

7. O Securitas, vita vitae, anima Dei: sine te Natura nec sperat, nec spirat. Itaque tibi rata FIDES nihil non sacrum esse jubet.

§. LXXIII.

Et illa tamen Securitas, Fides publica, Ratio divina, unum et simplicissimum habent principium: TANTUM, & IN essendo & AD essendum. Cujus principii neglectu increbuit OPINIO, et ejus praxis MOS. Pro scientiâ, opinio: pro conscientiâ, mos.

Digitized by Google

Contra Rationem: et cōntra Fidem. Unde TUTUM nihil et omnis ubique Securitas vana.

2. Nec erit unquam aliter, ni sollenni lege sancitur illa rationi fida Probitas, QUANTUM sciatur, publicè indicans: et hinc, ni vetantur doctores aliud quidquam publicè docere, quàm illud MAXIMUM veri seu publicè PROBATISSIMUM.

3. Credere autem plusquàm verè sciatur, id eàdem publicâ sanctitate seu scientiae conscientiâ, declaretur & irrationale & infidum.

4. Nam hercle palam: ni sollennis quaedam aestimatio exstet seu publica scala VERI ac BONI, sicut in Arte verâ et severâ omni; nullum erit unquam regimen RECTI atque publica nec Ratio ulla nec Fides; eritque vana igitur omnis & SECURITAS & SALUS.

„Papatum autem?“

5. Nec papatum in actis et factis metuas.

De VERIS tribunal multò minùs erit periculosum, quàm nunc de BONIS.

Et mentiri publicè, in historicâ computatione MAXIMI, id nunquam possibile fuit et nunquam erit Scientiarum SOCIETATIBUS: quibus hoc regimen RECTI, hoc judicium sapientiae publicae, mandaretur.

Digitized by Google

Illae enim SOCIETATES, illae academiae inventrices et reales, quantâ publicâ sanctitate scientiae et conscientiae, probationis et probitatis, rationis et fidei, semper censeant et agant: id palam vides.

6. Unde tam clarâ suâ sibi constare dignitate practicas artes, admiramur: quibus etiam Vitae humanae innititur quantilla haec & salus & venustas & gloria.

Et cur demum? quia in PRACTICIS nil fingere licet: nil putare et somniare: nil a mente MENTIRI, et nil amenter CREDERE.

7. At ea paucula si demas, jam nullum habemus tribunal RATIONIS, nullum veri MAXIMUM: nullam igitur vel concordiam Fidei vel Securitatem.

Sed luditur quaedam universalis omnium in omnes IMPOSTURA.

8. Nam unde scis, te nunc non stultissima putare? unde scis, te nunc non mille mendacia credere?

9. Summos doctores tu si crepas, eorumque oracula; en omni aevo, en ethnicos, muhammedicos, catholicos, omniumque Opinionum summos doctores, at simul eorum stupendam FATUITATEM istam, qua barbatissimi nihil non infandum infantiliter effantur, aut, in sublimiori ecstasi, nihil non amentissimum a suâ mente consomniant. LII, 4, 5. LX. LXXI, 9.

§. LXXIV.

Quid igitur?

Non auctoritas et oraculum, sed indicium et judicium, fidem faciunt verè: in divinâ ratione TANTI.

2. Qua divina RATIONE ignoratâ jam antiquitus mortales ea, quae minimè sciebant, maximè credebant: THEOGONIAS, COSMOGONIAS, PANDAEMONIAS, MANTIAS, MANIAS.

3. Mortalium autem primus, qui tandem QUANTUM sciatur? scire voluit: primus igitur VERI verè sciscitator: SOCRATES fuit. At interrogabat ille nimis, non quatenus? interrogabat homines, non autem Naturam. Discussit is tamen istam immensam nebulam antiquorum nebulonum: et irrisit veterum veteratorum naenias.

4. Mortalium secundus, qui tandem, post alteram barbariem, QUANTUM sciatur? scire voluit: secundus igitur VERI verè sciscitator: VERULAMIUS fuit.

Atque interrogavit ille, non socraticô lusu HOMINES; sed seriò NATURAM.

5. „Et quid jam datur ultra?"

Interrogare SESE.

Nam ita demum, QUANTUM scias, verè scis: probâ & ratione & fide.

Digitized by Google

Unit igitur archimetricus, seu vir verè probus: interrogando Homines, Naturam, Sese: unit & MAGNUM illud Socratis & MAJUS Verulamii & MAXIMUM divinae Rationis.

7. Ante SOCRATEM ubique Humanitati barbaries imminebat mythico-sophistica: ante VERULAMIUM barbaries mystico-scholastica: utrinque, fictionum et factionum altissima palam a mente amentia.

8. „Tertia barbaries an erit gallokantica?"

Non vana metuis: nimirum, si usque reri licet sine re, et usque fiditur sine fide.

Nec enim vel classicè doctis cum fidà ratione fiditur universim: quia ii dudum orphicè, aristotelicè, cartesicè, leibnitzicè, et nunc tandem kanticè, ter igitur aut quater se sollennissime declararunt illusos, id est, terque quaterque stultos.

9. Nam est, sicut IMPOSTURAE nota constans, decipere; ita STULTITIAE nota constans, decipi. At pluries decipi, et usque denuo facillimè decipi, summam hercle ostendit ac velut edoctam stultitiam.

Id verò, quomodo factum sit, jam videamus.

Digitized by Google

Cap. III.
Mundus
illucens et illudens.

§. LXXV.

„Errari vagâ mente facillimè: et abstractionum ecstasi, seu doctorali amentiâ, in infinitum errari posse: id palam vidi. Sed eousque errari etiam vulgò, ut verè demum nihil sit hic mundus mortalium nisi MENDACII falsò divini unus omnibus ERROR ac TERROR: id, unde sit, ambigo."

2. A vulgari oritur illusione vulgaris error.

„Et quaenam ea illusio?"

SIMILITUDINIS: in ipso mundi aspectu illico nobis objectae: at vagè et variè.

4. SIMILITUDO primitus & illucens & illudens: en illud objectorum OBJECTUM: en e sensuum chao primigenio & olim & nunc emicans mundus.

5. SIMILITUDO enim suum Objectum vel similat specie: vel consimilat analogiâ:

Digitized by Google

vel adsimilat auctoritate: LIII. Id verò non aliter Doctis, quàm Vulgo: non aliter summis ingeniis, quàm imae plebi.

„Et hoc hoc aveo scire: sed rigore MAXIMI."

Ergo tu jam oculis vide tuis.

§. LXXVI.

Quidnam est illud omnino minimum, sed rem tamen aliquam similans, quod ubique videndo vides?

nonne SPECIES quaedam?

„Ita sane."

2. Jam eam speciem, primitus ignotiorem, tu illico tibi clariùs quomodo cogitas?

nonne per ANALOGIAM notioris: in simili, quantumvis rudi?

„Ita sane."

3. Si demum hanc speciem, in hoc analogico simili, etiam AUCTORITATE sollenni semper videas repraesentatam:

nonne tale tu simulacrum, tali auctoritate sacrum, esse verissimum facillimè credas?

„Ita sane."

4. Jam attende.

Notionis universim primae ac superficiariae, seu SIMILITUDINIS, heic habes

minimum, medium, maximum:

specie, analogià, auctoritate:

SIMILANS, SIMILE, SIMULACRUM:

habes unius φαινομενȣ

φασιν, φασμα, φαντασμα:

et notionem verè

metaphysicam, poëticam, politicam.

5. Nam haec tria genera similitudinis, in omnem usque illusionem, isthuic amenti dominantur mundo.

Quia, summitate ruditer sublimi, ubique SIMILITUDO irruit in sensum. XXXIII, 6.

§. LXXVII.

Ideo Palam, in metaphysicâ notione, en tibi nil nisi formam informem: adumbrationem rei: speciem extimè summam: similans quid et vagam phasin. e. g. ALIQUID et ALIQUIDITAS in infinitum omnis.

2. At in poëticâ notione, en emicat analoga notioris imago: simile quid et vivum phasma. e. g. omnipotentiae vis — in FULMINE JOVIS.

3. In politicâ demum notione, en metaphysica ista notio, jam poëticè illustrior, consecratur sollenni auctoritate ac repraesentatur dramaticè in actuali simulacro seu vero phantasmate. e. g. IDOLOLATRIA & prisca & nova.

4. Ita ubique.

Metaphysicè cogitatur agentis ACTIVITAS et fit eâ cogitatione illico libera, independens, autocratica, divina: et,

Digitized by Google

quamvis activitas haec verè sit agentis vel minimi et necessitatissimi, tamen fit sibi quoddam numen illa IDEA.

Poëticè verò, per simile quantumlibet vel tenue vel rude, en subitâ analogiâ illa species activitatis fit vividior ac viva: fit anima, et animans: fit daemonis IDOS.

Politicè tandem omnis divinior species, illico analogicè viva, colitur auctoritate sollenni, velut IDOLON.

5. Hinc illud immane PANTHEON pandaemoniae totius & metaphysicum & poëticum & politicum: ubi „omnia deus, praeter ipsum deum" ex gravi effato BOSSUETI.

§. LXXVIII.

Nec subtiliora excipias illa idearum idola et potentiarum daemonia: quae sophis otiosis vanos construunt et destruunt mundos. XXIV, 6.

Nam superficiariae notionis, seu similitudinum et illusionum, quicunque demum cogitabilis mundus, tamen idem erit priscus ille barbarè sublimis, nec dissimilior nisi ruditatis gradu.

2. Ac nunquam: nisi metphysicas ubique species, abstractè liberas, independentes, autocraticas, divinas, prisci mortales analogià rudi seu poëticè voluissent in-

Digitized by Google

dicarè: nunquam demum politicè idololatrae fieri potuissent.

3. Rerum autem illud ineffabile intus AGENS contemplator barbarè sublimis facillimè illico judicat ex analogiâ SUI et suae mentis: unde nihil non invisibile fit hominiforme seu fit humanâ specie mens viva. Etsi mirè variatur is intus agentium anthropomorphismus: ideo, quia in alio aspectu alia emicat rerum facies: bona, mala: formosior, deformior. In aliâ προσοψι aliud προσωπον. Unde nobis illa ipsius Naturae infinitè lusitans et usque viva PROSOPOPOEIA.

4. Nil erat igitur antiquorum iste magicus mundus, quàm in immani quadam Tabulâ poëticè pictâ immanis quaedam Fabula metaphysicè ficta.

5. Quin & nunc tu tibi species vel altissimè ideales finge rudi symbolo analogicè repraesentatas; et en illico Pandaemonion habes UNIVERSI, mille milliesque mille formis horrendum. Ac palam ita. Nam vel purissimâ mente ipsas divinas proprietates, OMNIPOTENTIAM, SAPIENTIAM, JUSTITIAM, BONITATEM, veluti deas in Deo, certè numina in Numine, cogitas invitè.

§. LXXIX.

Inde verò postea, libero phantasiae lusu,

Digitized by Google

illae platonicae IDEAE: zoroastricae jynges: pupae divinae: rerum ipsitates archetypae et aeternae sophorum ipsullices: id est: species purissimi somnii.

2. Quae IDEAE non modò intelligibiles adeo sunt, ut per eas intelligibilia cuncta intelligantur, nempe, quantum satis ad sublimiter somniandum: sed intellectioni vagae in eo intelligibili mundo etiam vivus additur intellectus, quo tandem intellectiones intelligunt ipsae. Nam

> Νȣμεναι ιυγγες πατροθεν. νοεȣσι και αυται,
> Βȣλαις αφθεγγτοισι κινȣμεναι ὡϛε νοησαι.

ORAC. ZOROASTR. 117. 118.

ubi pro *πατροθεν* lege *πλατωνοθεν*, etc.

3. Ergo sapientissimè PHILO judaeus ille mirè sublimis, ille Moses atticissans, ille Plato secundus, mysterium tandem illud infandum effatur: *νȣς αορατος καθαπερ Θαυματοποιος ενδοθεν*, mens intus velut invisibilis Histrio: *τοτε μεν ανιεις, τοτε δε αντισπων βια*, jam remittens, jam contrahens vehementer, videlicet, illud enthusiasticè altâ suaviter contemplatione, et hoc fanaticè divino furore: *κινησιν εμμελη και πολλην ἡσυχιαν εμπαρειχετο τοις Θαυμασι*, motum modula-

tum et multam quietem animorum suis conciliians praestigiis, videlicet, motum illum per theseos et syntheseos melos horridè magicum, et quietem hanc per millennia credulitatis fatuae.

4. Nec tamen putes, eam thaumatopoeiam non esse facillimam. Nam per species easdem seu ideas umbraticas, vagas, infantiles, pecuinas, nihil non somniatur in hoc mundo: et, eodem sophipoëtico phantasiae lusu, saepe similitudinum analogias musinatur easdem & in academiâ Plato & in vireto buculus, easdem simius et Apollo, Diana et rana. e. g. ENS FULMINANS velut animal summè terrificum.

Etsi LONGINO tales theoriae, nimis quàm subliiniter, dicantur: somnia Jovis.

§. LXXX.

Nam itidem hercle tu, eâdem tuâ mente, cogitas & Aquilae altevolantiam & Aquilam avium reginam: illam verò metaphysicè, hanc poëticè. Nec aliter dum regem cogitas tibi regni solem, reginam lunam, et regias puellas istius Firmamenti stellas: nec aliter, inquam, tunc necessariò cogitasti antea tibi eam sol-itatem, eam lunitudinem, easque stellantias omnes, in ipsâ POSSIBILITATE.

Digitized by Google

Gradu vividitatis differunt istae notiones: non autem ejusdem superficiariae similitudinis eâdem istâ illusione.

2. Quam tamen similitudinis illusionem adeo crassè ludit usque Phantasia, ut non solummodo ideae metaphysicè altissimae nil sint nisi rudes rerum adumbrationes; sed etiam ideae poëticè elegantissimae nil nisi brutae mentis horrida ludibria.

3. Nam & in maximis, Phoebum auricomum, lauro, arcu, citharâ illustrem, pro SOLE divino: & Venerem ipsam pro TELLURE in flores et amores vernante: & Isim multimammiam pro Naturâ, per illa dia ubera solis et lunae, per illas dulces pomorum papillas, haud secus ac alma mater, suos natos lactantem: o tamen quàm ruditer, quàm barbarè!

4. Et minima si velis: en igitur in aureâ nube, quis non rideat aurum? in ipsis roseis genis, quis non horreat colorem illic tam frigidè insuavem? quin & doctissimè, doctissimi Chrysostomi aureum illud os ac mellifluum, o quàm rudi ludibrio cogitatur!

5. Itidem libertatis dea: virtutis dea: salutis dea: etc. etc.

Comparationis autem tertium illud, seu QUATENUS, tu si reclamitas; eo ipso palam ostendis omnem istam ruditatem.

Digitized by Google

Qua ruditate saepius, at non aliter, dicitur CORNU' copiâe, quàm olim caelum TAURUS ac terra VACCA, prisco ritu, sed eâdem mente.

6. Quin demum instupuimus, doctorali barbarie, adeo, ut ipsas ruditates nunc admiremur tamquam summas elegantias: ideoque cum ipso CICERONE Tusc. V. 68, triplex animi FOETUS cuique laudatur, dum tamen horrescimus ad graecorum TRIPHALLUM, foetuum creatorem.

7. Nec aliter metaphora ubique omnis: vitae FLAMMA: rationis LUX: ingenii FULMEN: eloquii FLUMEN: omniscientiae OCULUS, mentalis INTUITIO, insensilis IDEA.

8. Et in isto IDEARUM dio somnio eousque bacchantur, ut & summè impossibilem doloris, sonoris, odoris et saporis demum sibi tribuant IDEAM: quae, nisi visibilium, est evidentissimè nulla. VI.

§. LXXXI.

„At haec omnia, etsi rudia sint et a prisco illo mutuata aevo barbarè sublimi; tamen ea respuere nefas ideo, quia iis non possumus carere."

Nec respuo mehercle; ad quam tu RESPUENDI metaphoram attende.

2. Carere autem ubique metaphorâ barbarè sublimi certe nunquam poterit ILLUSIO.

Digitized by Google

Non dedignor tamen metaphoram ego, qui eâ laetissimè utor, nempe, contra elatos elatè; sed, QUANTI sit, aestimo ex Naturae veritate severâ.

3. „Et QUANTI demum est illud sophipoëticum omne? e. g.

LIBERTATIS — DEA.“

Tanti, quanti ubique est, & specie & analogiâ,

ALIQUID — TALE:

quod, pro HOC seu ipsâ re, vides quàm esse possit & vagum & illusorium, etiamsi politicè, nullâ non auctoritate solenni et sacrâ, millies intonetur EN TIBI.

4. Est igitur hoc sophipoëticum ubique illud

CATEGORICUM et ALLEGORICUM:

quo priori nil definitur unquam, et quo posteriori nil definitur verè, sed oberrat menti vagae et illusae vagum et illusorium omne, etsi tamen ita nihil non & praedicatur & illustratur usque, nempe circulatoriè demum seu AGORICÈ. VIII. XIV. etc.

Cur verò?

Categoricè: quia, per totitatem et omnitudinem, universim hercle magnificam, en illico, maximi vocabuli minimo sensu, difficillima impostura facillimè luditur. Nam, ita esse vagè: nempe, in mente, non in ente: o quàm id subitò videtur.

Digitized by Google

Allegoricè: quia DATI cujusque tenui speciei nihil non simile assimilando, en illico, tui numinis nutu nova miracula fiunt, et in allegoriarum mundo tuo vagaris tibi deus.

5. Hinc orta priscorum ubique illa

MORPHOSIS et METAMORPHOSIS:

formatio et transformatio speciei et analogiae metaphysico-poëtica. Et usque tamen barbaris tam facilis, quàm sublimis. Cur verò? nam sunt naturaliter SOMNII talia illudia.

6. Hinc etiam hujus mirè amentis mundi ubique illa

HYPERBOLA et PARABOLA:

dum in isto mentis barbarae sublimi somnio cuncta irruunt per summam speciem et summam analogiam, ergo per ea quae in mundo summè eminent et summè emicant.

Cur verò?

Nam primò nobis ubique innotescit SUMMUM.

Quia SUMMUM est ubique & extimum & extremum: ubique & patentissimum & potentissimum. e. g.

Aliquid — Fulgur.

Spatium — Sol.

Hoc autem palam nonne universalissimum vulgò vocatur et singularissimum? unde nobis illud summè sophicum et summè poëti-

Digitized by Google

cum abstrahitur et distrahitur, eâdem vi phantaſiae.

7. Hinc demum verè intelligis hiſtoriam Orbisterrarum: iſtam ubique titanicam altitudinem humanae mentis ac ſimul fanaticum ſtuporem brutae ſervitutis: nam SUMMUM ſummè & excitat & terret.

8. Unde mille miracula ingenii et virtutis: at ingentia ludibria: quia ſine RATIONE. XXXIX, 2. XLIV. LXIV, 3.

9. Adeo, ut nihil fere videas usque, niſi Superſtitionis et Superbiae variam iſtam et eandem HYPERBOLIPARABOLAM. Superſtitionem, theoreticè: Superbiam, practicè.

Nam quidquid ſuper-ſtat, et omne igitur SUMMUM, ſeu formâ ſeu vi, attonat et rapit.

§. LXXXII.

Ergo antiquiſſimas en ubique opiniones metaphyſicas, poëticas, politicas: antiquiſſimâ illuſione ſpeciei, analogiae, auctoritatis. Et easdem opiniones en aevi & medii & noviſſimi.

2. Nec tamen illuditur quisquam ullâ ſimilitudine aut vividiore aut vagâ, niſi quia, in ſublimitate iſtâ rudi ac barbarâ, non QUATENUS quaerit, non QUANTUM ſit curat, ideoque ſine RATIONE cogitat et credit ſine FIDE. XXIV. XXV. LIII.

Digitized by Google

3. Nam nullum datur Objectum nisi verum: eatenus ac videtur. VII. LI.

Nec mentiuntur

umbra — lumen — pictura,

aut

nubes — aurorae — dia;

etsi nubem intus puram et ipsam velut nubis animam in altissimâ SPECIE speculetur Sophus: puellam roseam et croceam lepidâ ANALOGIA in aurorâ videat Poëta: deam inibi ter divinam AUCTORITATE sacrâ colere jubeat Politicus.

Non tibi mentiuntur a mente ii suâ, tam ecstaticè fingendo: sicubi attendas QUATENUS?

§. LXXXIII.

Itidemque in omni hujus mundi scenâ.

Religiositatem religiosorum: altam Doctrinam doctorum: Optimitatem optimatum: admiraris per metaphysicam SPECIEM.

Sanctissimum oculorum mimum: cathedrale supercilium frontis meditabundae: stellatum decus et mirè variam pompam: admiraris per poëticam ANALOGIAM.

Eosdem autem religiosissimos, doctissimos, optimos vulgò celebrari, publicè haberi, sollenniter credi: id tu demum admiraris per politicam AUCTORITATEM.

Digitized by Google

2. At ubique transit facillimè admiratio in STUPOREM. Unde: nil admirari: jam antiquitus vox erat sapientiae.

3. Nec aliter in Dramate sublimi, numina aeterna, actuosa daemonia, divinas virtutes, diabolica vitia, metaphysicè: subita miracula formarum, inter altè symbolicos & honores & horrores, poëticè: vivam demum repraesentationem, politicè — ludit eadem Phantasia. At ſit illa lusio facillimè illusio.

4. Hinc verò patet, SIMILITUDINEM universam illud nobis confingere theatrum Naturae et mundi mirè variam Scenam.

Ubi SOPHUS mihi vocatur, antiquo sensu, metaphysicus quisque seu abstractissimè visionarius.

5. POLITICUM autem heic dicitur sat clarè, non id quod ratione statûs constat saepe sanctissimum; sed generatim, quidquid inter homines actu repraesentatum et vulgò celebratum exstat.

Cujus, inde ab infantiâ visae, repraesentationis et celebrationis quanta sit MAGIA; id & opinionis publicae mira vis, & gloriae ubique furor ille divinus, & auctoritatis potentissima sicut antiquissima fallacia, palam ostendunt.

6. Nam inde nova et ficticia Natura:

novus et facticius Mundus: id est, immane illud regnum PHANTASIAE.

Cui phantasiae: per illa tria summa genera similitudinis et illusionis: metaphysicè, poëticè, politicè: usque et ubique luditur ac reluditur

aliquid — tale — credi solitum.

Id quod actu vero nil valet nisi vulgare illud: speciem prae se ferre.

7. At hinc tamen PERSONA: larva illa sacrosancta in hac scenâ mundi. Quae mirè varia Persona — en tibi suae DIGNITATIS illico innuit & summam speciem, & analogicum decoramen, & auctoritatem vulgò celebratam: illico igitur sophipoëtipoliticum illud omne. e. g. In TROSSULO: lepidula dominitudo: affectata elegantia: a plebe gloriola. In SYCOPHANTA: pia fides: blanda facies: bona fama. In PAPA: sua summa sanctitas: triplex corona: suprematus agnitus a stupente mundo. Sed QUANTUM scias per hoc ingens drama, vides: nam & major omnis & maxima latet veritas intus.

§. LXXXIV.

Atque ita demum intelligis in omni SIMILITUDINE, seu primâ illâ et superficiariâ notione, hanc antiquissimam et barbarè subli-

Digitized by Google

mem triadem Objecti

minimi, medii, maximi:
specie, analogiâ, auctoritate:
sophicè, poëticè, politicè:
IDEA, IDOS, IDOLON:
illusionis unius
materia, forma, opus:
similitudinis unius
SIMILANS, SIMILE, SIMULACRUM:
speciei unius
speciatum, speciosum, spectaculum:
ac velut universim,
ostensio, ostentum, ostentatio: seu
φασις, φασμα, φαντασμα,

unius φαινομενȣ: cujus tamen prima illa tenuissima ideoque purissima φασις jam olim scholarum visionariis vocabatur νοȣμενον. Eis enim, a mente amentibus, illud sophicè, poëticè, politicè illusorium omne semper fuit summè creditum et eis igitur verè

νοȣμενον, φαινομενον, ον.

2. „Phantasiam tu hercle phantasiâ debellas: et cum lusoribus lusitas."

At quatenus? nam ideo lusito, ut ludiones tandem sint ludibrio. LXXVI, etc. LXXXII, 2.

3. Et quia etiam ludorum severa datur mathesis: en tibi nunc palam regnum illud immane PHANTASIAE illucens et illu-

Digitized by Google

dens: en regnum illud, & patentiſsimum & potentiſsimum, jam actu trinum,

SOPHICUM, POËTICUM, POLITICUM,

per illud SIMILITUDINIS universae

μεταφυσικον, παραφυσικον, αντιφυσικον.

4. Videlicet: μετὰ, supra Naturam, speciei fictione: παρὰ, praeter Naturam, analogiae figmento: αντὶ, contra Naturam, auctoritatis Ficto, pro Facto.

Unde nobis tota illa barbara sublimitas hujus magici mundi: illud & supranaturale, & praeternaturale, & contranaturale omne: e. g. POTENTIAM si cogitas & in Fato, & in Jove fulminante, & in Papatu.

§. LXXXV.

Μεταφυσικον.

Supra Naturam nihil est. Nec tamen horrescas. Nam & Numen Naturae cognoscimus verè ac vivè: sed Numen Naturae nonnisi in Naturâ, velut naturam naturantem: et Omnipotentiam, nonnisi in actu omni potenti.

2. Ita nec formositatem cognoscimus nisi in formâ: nec rationem, nisi in rato: nec legem, nisi in proportione: nec melodiam, nisi in melo.

3. Et ipsâ necessitate progressio-

Digitized by Google

nis tendimus in INFINITUM. Sicut necessitate evidentiae non aliter cogitamus Numen Naturae in Naturâ, quàm numen hominis in homine.

4. Sed econtra metaphysicè Deus: en ad Nihil usque purus facillimè negatur. Tam est enim naturale, nihilitates negare; quàm est naturale, affirmare omnis potentiae Omnipotentiam et summum illud entium ENS.

5. Itidemque, Humanitatem altè mirantur sophi: id est, generis humani-TATEM: sublimiter evanidâ specie. Sed iidem sophi neutiquam actu hominem agnoscunt divinum seu in ipsâ Naturâ caelitus genitum ac Dei filium, ideoque in ipsâ errorum hac miseriâ sanctissimum. Nec ii minùs dedignantur PLEBEM, omnium ingeniorum et heroum illam dirè contemtam matrem, quàm usquam ulli brutâ mente barbari. Nam quòd nunc non sanguinem humanum bibimus, sed ex humano sanguine per duri laboris ignem nobis mirè distillata nectara: id an tollit barbariem?

6. Tales igitur, ita speculantes, et sine Deo, sine Humanitate, cur demum non Reipublicae salutem omnem eluderent abstractione suâ et in speciem sublimarent altissimè inanem? En igitur: hinc MAJESTATEM fingunt immensam et immanem:

Digitized by Google

illinc LIBERTATEM eorum, qui dires inter carnifices diu noctuque tremiscunt. Ut nimirum usque discrucientur elasi mortales inter Thronos et Guillotina.

7. Id quod tamen semper nihili aestimant sophi; nam OMNES in ipsâ Omnitudine, et TOTUM in ipsâ Totitate, adeo vident altissimè, ut UNUSQUISQUE fiat planè invisibilis, et PARTIS ratio sit nulla.

8. Quin adeo, ut saepe vel Asello magis constet sui majestas juris, quàm Homini dio. Cur verò? quia pro Asello cogitant muliones physicè, id est, divinitus verè; sed pro Homine cogitant doctores metaphysicè. Et hercle hi doctores illis mulionibus vehementer forent irrisui, ni delphico ritu suo tam abstrusè fatuarentur.

9. FINEM enim, finem spectant: sed mediorum illam vivam harmoniam, et ipsam igitur systematis divinam RATIONEM, veluti vilem prudentiam altè spernunt. L, 4.

§. LXXXVI.

Nec aliter ex sophicâ Visione unquam sapere licet. Hac enim κατ' εξοχην vident UNUM SINE ALTERO: unum, unum, unum sine altero: usque et ubique.

2. Est autem Abstrahere tam facile quàm PARUM videre.

At in eâ tamen abstractione latet ipsa vis

ecstaseos, qua quis ex stasi seu statu rerum abripitur: in eâ latet ipsa mens amentiae. VIII. XVI, 3. LXVI.

Nam in dato non rato, in TALI sine TANTO, ac palam ubique SINE MODO — nihil non minimum en illico fit maximum: fit omnia transcendens: fit sibi absolutum. LXXVII, 4.

3. Et in abstracto ubi terminus? in eodem ubi aliud? in uno quid ultra?

4. Quin vel umbra minimi & entis & potentis cuique metaphysico summum ens et omnipotens videtur: unde sophicus ille deus, ad NIHIL usque purus. LXXXV, 4.

5. Mens igitur ecstatica ea, qua Numen Optimum Maximum in umbra MINIMI videtur, itidem nihil non divinum in quacunque specie ecstaticè videt.

Quantillum enim sit usquam bonum et pulcrum, en illico sibi mens illud velut infinitè et absolutè bonum et pulcrum, ecstasi leviculâ, cogitat: nil videt ultra: ergo stupet, amat, furit: ergo pythicè rapitur, corybanticè agitur, prisco illo more barbarè sublimi.

6. Itidem fit in odio et horrore: hostis hostem trucidat, homo dius hominem dium: quia sophicè, id est, infinitè et absolutè, is odiosam illam speciem unicè videt.

Digitized by Google

7. Quin speciebus abstractè visis adeo velut furiis agitatur humanum genus mirè metaphysicum, ut nulla sit vanae gloriae tam vana species, quae non in mente, per abstractionis leviculam ecstasin, fiat illico sat infinita et absoluta ad omnium omnem amentiam. Id quod ex tot bellorum ridiculo horrore: ex tot Fanaticismi diris ludibriis: patet.

8. Nec putes, ATTENTIONE sensuum divinâ quidquam abstrahi: sed ecstasi, dum suâ quis mente captus rapitur. Sensus observat, in actuali TOTO, divinam & rationem & fidem TANTI usque ad MAXIMUM: sed mens, mens phantasiae vaga, sine modo, liberè fingit ac furit. XVI. LVII, 4.

§. LXXXVII.

Est igitur sophica ABSTRACTIO illa, usque et ubique, ipsa errorum mantia et ipsa terrorum mania: palam & amentia mentis et MENS amentiae.

Hac enim abstractione fanaticè infinitâ et absolutâ unus agitur omnium idearum seu specierum velut Corybantiasmus: vocabulorum tradens altior sacra murmura, dodonaea tintinabula, cymbala, bombos: quorum vi mens vaga mortalium incantatur, dum summè videt quis id unum, quod summè velit magus.

Digitized by Google

2. Unde jam eousque vel insipientissimus mentalem callet abstractionis magiam, ut mortalium demum quisque, mox pansophus, de re quacunque quidcunque libeat, id illico rectè cogitet sub aliqua abstractione: et is idem, mox panurgus, de re quacunque quidcunque libeat, id illico justè agat sub aliqua abstractione.

3. Nam suum is unum illud unicè videt OBJECTUM. Hoc hoc vide: cetera omitte! abstrahe, abstrahe! corybantica superintonat magia. Et illico, praeter HOC, nil videt visionarius ille: sed hoc hoc videt ecstasi mentali.

4. Et quia tam subitò per vagè visa ruit mens phantasiae, in vagis autem illuceat modus nullus; en tibi jam ubique fere nil nisi abstractionum infinitas absolitudines, ac nil nisi transcendentias & RATIONIS & FIDEI tam irritas et infidas quàm barbarè sublimes. Hinc mortales corybanticè vident

monarcham, et nil nisi adorant:
hostem, et nil nisi trucidant:
amicum, et nil nisi favent:
inimicum, et nil nisi horrent:
magnatem, et nil nisi tremunt:
pauperem, et nil nisi spernunt:
doctorem, et nil nisi stupent:
contradicentem, et nil nisi rabiunt.

5. Ergo facillimè luditur archimagia scholarum illa: ABSTRACTIO fanatica: ars doctoralis amentiarum omnium. Nam, hoc hoc est sublime, splendidum, sacrum! hoc hoc vide: cetera omitte! corybantes intonant, grandium inter bombos vocabulorum. Et id, quod ita cuique omittitur, saepe veritas est omnis humana et divina. VIII. XVIII. etc. LII, 5. LX. LXXI, 4. 8. 9. LXXIII, 9. LXXIV, 2. 8. Nec aliter fieri poterit, ubi omnis altè spernitur MODUS, et contra divinam rationem TANTI AC TOTIUS publicè ostentatur Opinionis ille mentalis antitheismus, LVI. LVII, 4. LXI, 6. LXXII, 2. 6.

§. LXXXVIII.

„Jam & mihi videre videor visiones THEORIARUM istas infinitè illusorias.“

Abstrahit nos mens eadem in omnes amentias: in magicos mundos. Ac rudi phantasiâ, corybanticâ sublimitate, fanaticâ superbiâ, & luditur & furitur usque. LXXXI, 7. 9.

2. Nam facillimè quisque sibi somniat vigil: in unum intentus, non ad aliud attentus: visionarius in ideâ, non videns in re: cogitator, non observator: credens nescius, et, dum putat non computando, ita ratus sine ratione: saepe mirè amenter a suâ MENTE vagè variâ. Sed hoc tamen fit

omne, quanam vi? abstractionum ecstasi leviculâ.

3. Et PARUM videre: nempe, jam vagè totum, jam particulam: quomodo non esset facillimum? Ex his verò minimis maxima decernere — o quantam altitudinem, etsi praecipitantiae. Ac verè tamen altitudo: nam summè cernere et summè decernere, summi numinis est summum.

4. Eâ igitur facillimâ summitate, jam vagè tota jam particulas emicantes miratur, ac inde facillimè summa & cernit & decernit, MENS phantasiae. Cujus variâ thesi et synthesi etiam illudia oriuntur facillimè summa: quia naturaliter superant & umbrae superficiem, & nubeculae tellurem, & somnia vitam, & fictiones Naturam. Universim autem superant, ubique palam, & SPECIES & SPECIOSUM rei suae SPECIMEN.

Unde MENTIS vidimus istam altitudinem barbatè sublimem, corybanticam, titanicam, olympicotartaream, seu in mytho sacro, luciferinam. XVI. XXIV. LII, 5. LXXII, 6. LXXIV, 2. LXXXI, 4. etc.

5. Nec si nunc, in abyssicâ egoitate suâ mersi, abstractionum titanes, illo sceptico

Fulmine dejecti, fundo volvuntur in imo. VIRG.

nec ideo non eadem spectra rerum sublimia

ex ipso illo abysso evagari jubent: quibus novam Naturam umbraticè ludant.

6. Quin haec tota magia tam est MENTI nativa, ut difficillimum sit, non summè, summè & sophari & poëtari: id est, in omni possibili thesi ac synthesi vagè varia videre.

RES enim eadem — en tibi jam informis, at gigantica, empyreum transcendit caelum, ENTITATIS vi, e. g. Gloria, et jam nana INDIVIDUè sensui vanescit ineffabilis, e. g. illa subita illius de me opinio: NUNC INGRATA res eadem stygiae videtur taetricitatis furia, e. g. gloriola aemuli, et MOX GRATA blandè arridet velut minutula venus, e. g. vocula blandicella: ac demum, quae TOTA heic emicat nobis talis ac tanta, en dissilit in species mille specierumque SPECIES, e. g. Gloria in omni possibili praedicato.

7. Jam verò quid sit Gloria tibi, non vagè, sed certò, nempe, alta de te opinio, at stulti an sapientis? nebulonis an optimi viri? et quid sit vana Gloria, nempe, umbra somnii, at somnii jam olympici jam tartarei: id, non vagè, sed certò, tibi dilucet, non a mente sed a sensu, nec a SPECIE, quantumlibet sophipoëtipoliticè vel sublimi vel splendidâ vel sacrâ, sed a vero SPECIMINE: dilucet igitur, non abstrahenti sed attendenti, nec per summè visa sed per maximè visa. VI. XXXIII, 6. LXXXVI, 8.

Digitized by Google

§. LXXXIX.

Inde sophi mirè stupentes in φασεων mirabili varietate, qua quidvis videtur cuivis, dudum quaesitant ipsarum specierum specimen: idealium reale: ac velut objectorum OBJECTUM. O altissimam fatuitatem: quam quis quaerit nisi in Fatuo. Ac si esse possit in ullo Universo aliud OBJECTUM quàm unum illud unius generis: videlicet, ESSE ejus quod EST: v. Nam videtur hercle, quidquid videtur, et est id igitur objectum verissimè, quin & palam tale quale videtur; sed QUATENUS ita sit, seu objectum illud quantum sit in quocunque respectu? id unum quaeri potest usque. Nec nisi per TALE sine TANTO, per Datum non ratum, seu mente vagâ sine certo sensu, erratur. VIII. LVII, 6. LXVI. LXXI, 4. 9.

2. „Tamen extra nos, extra nos objectum illud, quale?“

Hoc est: id quod nunquam vidimus, quale? Nam in nobis visio est omnis. Et, hoc sensu, EXTRA NOS aliud nil significat quàm extra UNIVERSUM. Ergo, nil videmus nisi quod videmus: id autem, & realissimum esse actu experimur, & omni respectu quantum sit, ex nativâ illâ tanti ratione seu actualium divinâ mathesi judicamus. IV. XXXI, 6. 7. XLIX.

Digitized by Google

3. „At mens, mens videt, non viſu, ſed mentaliter.“

Hoc est: mens videt non videndo. Quam visionem invisibilium sophi ostentant non ostendendo.

4. Certè quidquid hactenus vidimus μεταφυσικον, id omne nil fuit nisi MINIMUM sensionis, qua quid minimè intelligitur: κατ' εξοχην verò, MINIMUM visionis, sive ubique illud extimè summum, v. VI: nil igitur nisi vaga species: umbratica simulatio, qua tamen quid signatur: notio superficiaria, usque ad inania vocabula. LXXVI.

5. Nam quia nihili nihil: jam ubique illa entitas entis, Caroli carolitudo, libri libritas, et egoitas barbaris notissima, quanti sint, patet.

In quibus tamen ipsam puritatem inanioris vocabuli: ipsam summitatem extimè MINIMI: ipsam denique minimi-tatem signationis, ad nihil usque seu sensum nullum: stupore mirantur altissimo.

6. Atque has nativas inanitates vocabulorum, has designationes minimas, has species ubique summè vagas, verissimè transcendentias vocant ii, quibus

Levisomna mens sonorinas imagines
Affatur. VARRO.

Transcendunt enim ista: non sensum, sicut

NIHIL: nec objectum, quod signant: sed rem, seu maximum sui Cogniti, transcendunt: quia ubique omnia transcendit minimum illud extimè summi, ubique signatio transcendit signatum, ubique species transcendit specimen.

7. Hinc, a minimo ad maximum, vagos vident circulos notionis usque realioris: indeque circulatorium illud ESSE IN. Nam est hercle speciatum IN omni suâ specie. Est, sicut visum in visu, ita intellectum IN intellectu: at intellectus ubi? palam in uno eo, quo quid intelligitur, IN sensu: et sensus? in sensorio: et sensorium? in altiori Naturâ: et altior illa Natura? in vi vivâ Numinis.

8. Est itidem Omne in spatio: at spatium? palam in Omni. Nam supra Omne NIHIL. Sicut est evidentissimè Omne in loco: at locus? in Omni. Nec tu quaeris: ubi est? quando fit? nisi quia tibi & ESSE & FIERI, cum essendi et fiendi serie, jam divinitus innotuit. Ergo, ESSE et FIERI prima sunt Data, non autem Ubi et Quando, essendi et fiendi determinationes: Nec in ullo unquam Objecto quantitas transcendit QUANTUM aut continuitas CONTINUUM: aliter quàm signatio signatum, aut specimen species.

Digitized by Google

§. XC.

At, quia scholarum visionarii nil vident nisi IN vocabulis; en ideo EX summis vocabulis formarum et normarum sibi consomniant, in sacro imperio vagae mentis, mentalem Ratisbonam, cujus syntheticus ille caesar malè informatus nunquam erit meliùs informandus, sed, nil cernendo decernens categoricè, nil erit nisi de-cidendo caesor. LIX, 3. LXI, 5, LXXII, 6. Cur verò? nam, extimè summa altè cogitans, nesciet usque, TRANSCENDENTALE ad ACTUALE esse MINIMUM ad MAXIMUM.

2. Nunc tamen sibi summè divini videntur vocabulares ideistae hi: rudi phantasiâ, sed magicâ superbiâ. Et, ut hanc umbraticae summitatis umbraticam divinitatem tueantur et intueantur, nihil non sublimant in umbras.

3. Inde, quidquid effantur jam verè videtur Oraculum: quia Ore plus indicatur, quàm actu intelligitur.

4. RATIONALITATEM enim ostentant sine Ratione: CREDIBILITATEM sine Fide: et quousque non TATEM AC TUDINEM, velut entitatem non entis? Id est: ostentant vocabulum VOCATI, signum SIGNATI, speciem SPECIMINIS, ideam REI, ubique minimum MAXIMI. VI. XXXIII, 6. LXXVI.

Digitized by Google

5. Nec vident unquam: Omne, nisi uniuscujusque, esse Nihil. Sicut ea, quam altè mirantur, totitas, quid erit sine toto? TOTUM autem? ratio partium una. Quam TOTIUS notionem in omni Philosophiâ maximam esse, itidem non vident.

6. Et quomodo viderent? nam, ipsis palam fatentibus, vident sine visu. LXXXIX, 3.

§. XCI.

Hinc demum intelligis, illud memorabile: viam transcendentiae esse viam annihilationis.

2. Id quod mystici verè, in suâ infantili sublimitate, profantur. Illi enim, transcendentissimè, Deum tandem esse vident „Omnia et Nihil." Non aliter quàm nunc sophi Mentem suam esse vident Omnia et Nihil.

3. Nam est sublimius nil, quàm ipsum NIHIL. Quia NIHIL est — supra Omne: infra Omne: et intra Omne, sicubi sensum transcendis.

4. Nihilo sublimitate proximum est Vocabulum inane. Et inani vocabulo sublimitate proximum est μεταφυσικον illud summum: Aliquid.

5. Infra hanc triadem plusquamplatonicam: Nihil, Vocabulum inane, et Aliquid: jam omnia inchoantur impura, dependentia, varia.

Digitized by Google

6. Nam ipsa IDENTITAS, seu, thesium illa per sese necessaria synthesis, tamen e Dato genita cum Dato perit: XXXIV, 2. Itidemque sophicum omne complementum possibilitatis. XLVIII.

7. Quin & menti purissimae Universum en ubique crassescit. Nam quid cogitari potest spissius, quàm ESSE et FIERI? unde fit actu Spatium — ipsa continuatio essendi! Tempus — ipsa continuatio fiendi: in qua continuatione Omne cogitatur et sine qua cogitatur Nihil. Jam, quaenam est continuatio nisi continuantis? et quid igitur Spatium erit ac Tempus? nisi antiquissima principia illa: MATERIA et MOTUS: qua quidque EST, et quo quidque FIT: sed ita, ut in suâ summâ specie, in minimâ signatione, subitò ac vagè, ista objectorum OBJECTA videantur. LXXXIX, 8.

8. Agentis autem vivi illa tota Libertas? vis actu superior: illa tota Voluntas? motus actu superior.

9. Ac MENS tandem ipsa? phantasia sublimior: omnisque IDEA? levicula signatio. V. VI.

§. XCII.

„At anima rationalis nostra?“

Illa jam divina erit sensionis: non humana phantasiae. Erit intelligentia Na-

Digitized by Google

turae ac Numinis: intelligentia vivae panharmoniae. Sensio enim necessariò, & vivè intelligit, & ita esse judicat, & sibi harmona harmonisque harmona vult. XLIX, 8. L. LXIII, 7, 9.

2. Econtra verò mens vaga phantasiae, etiam ubi summa videtur, nil tamen aliud est, quàm ipsa — transcendentia erroris. XVI. LVII, 4.

Ergo A MENTE omnis autodoxia somnii et omnis autonomia furoris: id est, autocratia tota humanae AMENTIAE. LXII, 5.

3. Ac palam en tibi SENSIO, vel minima, illico dat ALIQUID seu μεταφυσικον summum: paullo vividior dat GENERA et SPECIES: vividissima dat SINGULARE: universa dat cuique SESE suamque animam. Sensionem verò, animam animae, tolle; jam & tu tibi vanescis.

4. At MENS illa phantasiae — en aliter, aliter, aliter, quàm in sensu, non reminiscitur, sed eminiscitur: non cogitat, sed fingit. LVI. LVII. Nec divinam rationem TANTI ac TOTIUS curat ullam, dum liberrimè vaga et varia, nihil non sibi ludit et furit, e possibilium somniorum abysso, & supra & praeter & contra Naturam. LXXXIV, 4. Nam ecstasi leviculâ, MINIMUM ideaè pro MAXIMO rei, et vocabulares umbras pro actuali

objecto, objectat: libitamque thesin et synthesin mundo imponit pro stasi et systasi divinâ. LX, 2. Ac demum, quia facillimè omnis, e nexu physico et actuali, abstrahitur actio et fit numen, cur non, per tot numina, luderet barbarae mantiae ac maniae mille antitheismos? LVI, 6. LXXIV, 2. LXXVIII.

§. XCIII.

„Idealem istam a mente amentiam bellè vocari, non atheismum, sed antitheismum, video: at per μεταφυσικον inchoari etiam barbaram idololatriam, omnemque transcendentiam & somnii & furoris, miror."

Et quid non igitur a SUMMA SPECIE nobis inchoatur? Jam ubique summae POTENTIAE summa SPECIES, per ecstasin visa, poëticè viva, quid non a mente in mentes poterit? Eadem transcendens altitudo & ideae & vocabuli vulgum attonat. Atque attonitus ipse SOPHUS en olim, en usque et ubique, simul & propheta & poëta, unus omnes attonat, ac vi mantiae suae in maniam omnem gentes rapit. Nec alia fit mania ex aliâ mantiâ: nam SUMMA SPECIES erit aequè summa: SUMMUM autem summè concitat usque. LXXXI. LXXXVI. etc.

2. Μεταφυσικον igitur est illud phantasiae jam antiquitus barbarè sublime: in eoque latet illa vis archimagica omnis. XVI.

Digitized by Google

3. Nam hercle palam: quidquid aut eminet SPECIE aut emicat VI: quidquid ALTIUS quiddam aut ESSE aut AGERE videtur: id omne, quia super-stat, Superstitionis illud vigil somnium, mirum, dirum, suave, grave, veluti divinitus concitat: et ipsa talium specierum actio, jam ecstaticae menti facillimè, vaga tendi videtur in infinitam absolitudinem. LXXXVI.

4. Nec, si nunc non eòusque rudia somniamus, ideo minùs rapimur eodem vigili somnio barbarè sublimi. Nam LIBERTAS et AEQUALITAS, RATIONALITAS et MORALITAS, nempe metaphysicè transcendentes et absolutae, in omnium scholarum compendiis jam olim tritissimae, o quos nunc non concitant, velut divinitus, fanaticos corybantiasmos? XXVIII.

5. Metaphysicam enim loquor, non faturè vocabularem; sed hanc demum intus idealem et vivam mentis amentiam. Ex qua, saepe mirè sublimi, velut e chao suo inchoatur omnis ERROR ac TERROR. LII, 5.

§. XCIV.

Παραφυσικον. LXXXIV, 3. 4.

Hoc itidem, quàm sit menti & naturale & facillimum, vidimus. LXXVIII. 3.

2. Nam informe — in rerum Naturâ nil est. Informe nil est praeter ipsum

NIHIL. Quin & minimum illud intelligibile, seu, omnis idea, quid est? nisi forma.

3. Cuicunque igitur vocabulo sua illicò idealis assilit forma: praecipuè visibilis. Visu enim omnia, ut latissimè, ita laetissimè, & signamus & intelligimus: VI. Tum verò visa nobis, voce aliis, indicamus. Unde visu vocalium ille intelligibilis mundus. LXXIX, 2.

4. At ubi sophica notio paullò altior: notio verè minima, etsi extimè summa, nempe, species illa obiter sublimis entitatum activitatumque: ubi notio ea paullo altior, non SENSUI physicè attenditur talis ac tanta, sed MENTI metaphysicè, per sese, in abstractionis ecstasi, vaga somniatur: tum & isti speciei sua saepe assilit forma, non physica seu divinitus vera, sed analogica seu similior quaevis. Et quia in aliâ προσοψῃ aliud usque emicat προσωπον; en menti altè somnianti seu Phantasiae gliscit, e rerum illo infinitè vario aspectu et respectu, haec infinitè varia formarum poësis seu mythica Prosopopoeia. LXXVIII, 3.

5. Nam aliqua forma cogitatur necessariò: ergo si non vera forma, illico similior quaevis. Ac phantasiae, etsi vel rudioris vel doctioris, tamen vi eâdem illâ barbarè sublimi

6. En igitur caeli tonantis valentiam in mugiente Tauro: tellurem a caelo almam et alentem in Vaccâ: rudi poësi. Sed inde tamen & nunc nobis elegantissimis Cornucopiae vel in mariti capite: inde κεϱατος κϱατος, omnisque cratia: inde sanctissimum & priscis illud T, a facie tauri, signum crucis.

Jam verò, minus rudi analogiâ: en vim ac vigorem solis in aeterno juvene, Phoebo: vernam illecebram florum et amorum in amasiâ aeternâ, Venere. Inde, in triade charitum, veris MENSES, ubi flos Naturae nudus: et ὥϱαι junoniae: et musae initio tres, postea novem, Phoebo sacrae, hieme omisso. Indeque duodecim illi totius ANNI dii consentes: triumque olim TEMPESTATUM imperia magna, Jovis, Neptuni, Plutonis: huic item, ob ταϱταϱισμον in hieme seu horrorem tremulum frigoris, Tartarus cum ignibus, nec procul Elysium ob jubila julia: at econtra Jovis in AESTATE, seu caeli fulminei, intelligis eâ geniali metamorphosi tot miros amores.

Tandem en ille tibi conformatur velut alatus anni cursus in Mercurio: caduceus aequatoris cum zodiaco: argus stelloculus in tellurem nivosam: quin & animas aestatis ducens ille in tartara hiemis, per aquas et lethen autumni.

Digitized by Google

Ignem autem, & animi seu Martis & Vulcani seu artis, bellè sanè prisci mortales coluerunt in Vestâ seu ἑςια, cuique suo foco et arâ, sanctissimâ, dum viderunt undique terram nive candidâ vestalem.

7. Ita, hac eâdem ideali analogiâ formarum, usque et ubique, sibi suos entitatum activitatumque magicos mundos, & diu & noctu, sophatur ac poëtatur vel stupidissimus istius mirae ac dirae speculator SUPERSTITIONIS. LXXXI, 5. etc.

8. Nec tamen & doctissimis non eadem usque ludit illudia νȣς αοϱατοσ θαυματοποιος, mens invisibilis histrio. LXXV. 5. LXXIX, 3. Atque omniscientiae oculus, et rudis illa vox ideae, seu invisibilium visus, Platoni cuivis non aliter fingitur quàm Homero sua Juno βοωπις. LXXX, 7, 8.

9. Ergo demum nil fere inter mortales agitur, nisi histrionia mentis seu phantasiae ludicra sophipoësis. LXXVIII. LXXXIII.

Nam & in homine uno, quot dignitates, quot facultates, tot vides personas: immo, quot varios mores, quot aspectuum respectuumque alias facies, alios vulticulos, tot illico velut in unâ personâ personas. Cur igitur non animae totius videremus phantasinam personam? cur non summi ENTIS formam antiquis omniformem?

Digitized by Google

§. XCV.

Hinc jam ubivis MENTALIA cogitando, ecquam rudem formam non cogitamus inviti? e. g. hominem cornutum, usque ad cornua hippelaphi: nasutum, usque ad nasum rhinocerotis, etiam in pueris, ex mente MARTIALIS: astutum, cum vultu subdolè retruso et abstruso, usque ad formas deformes istas flandricae scholae: ipsiusque demum stupiditatis en os hians tardo contuitu ludicrè SESE monstrans.

2. Ideoque nec ipsam vacuitatem istius magni axiomatis, datur vacuum, cogitare potuit HOGARTHUS, quin illico viderit doctorem oxoniensem bucconem, hoc datur vacuum publicè declamando qui doceat fatuos miriones, turmatim se invicem transcendentes. Id quod pinxit.

3. Et eousque mens mortalium, quantumlibet rudis, hogarthizat et homerizat, ut leo, tigris, asinus, simia, vulpes subito miraculo fiat cuique quisque pro forti, truci, stupido, stolido, vafro. Ista enim similia illico irruunt in mentem.

4. Nec est ullus vel metaphysicus vel poëticus corybantiasmus, qui non ubique terrarum sit barbaris eò crebrior quò sublimior.

5. Barbaris autem? Quin hercle non aliter summis ingeniis: non modò in tot

abstractionum prosopopoeiâ: in tot entitatum activitatumque, per sese, amenter, ecstaticè, visarum idolis ac daemoniis: sed in omni allegoriâ, quantumlibet sublimi, etiam ad barbarorum usque monstra horrenda.

Nam id omne, quod actu DICUNT, tu vivè COGITA: in viro igitur summè docto, VERI teste auritissimo et oculatissimo, tot ac tantas aures, tot ac tantos oculos: animi triplicem foetum, inibi tripliciter verè foetum: aureum os ac mellifluum, velut ex ore aureo mellis flumen: doctrinae millenos eidem filios, filios, ergo triphallo plusquàm priapino potentem. En — ex ideali synthesi nihil non allegoricè witziliputzilinum: en sophipoesin barbarè sublimem. LXXX, 4, 5, 6.

6. Talis est illa vis archimagica Phantasiae, nullam non mentalem speciem analogicè formantis: ut illico IDEA fiat IDOS. LXXVII, 4. etc.

7. Nec tamen heic de POËSI, quatenus ars est, loquimur; sed quatenus notionis humanae gradus ille et quaedam similitudinum illusio. LXXVI.

§. XCVI.

Αντιφυσικον. LXXXIV, 3, 4.

Videlicet: ubi jam illud Phantasias drama sophipoëticum, illa mentis

HYPERBOLIPARABOLA, politicè demum, auctoritate sollenni et sacrâ, palam agitur. LXXXI, 6, 9. LXXXIII, 3.

2. Nam & SPECIE & SIMILI Phantasia usque ludit naturaliter. Sed hunc phantasiae lusum jam demum non fingere et pingere, sed actu velle attingere: hunc phantasiae lusum, non levitate sublimi cogitare, sed jam seriò agere: FICTUM haberi velle FACTUM: et fabulam consecrare veluti veram ac divinam: id omne, non a mente solummodo sed amenter, non phantasticè solummodo sed fanaticè, non luditur solummodo sed furitur — contra Naturam; unde αντιφυσικον.

3. Sic tandem IDEA non fit IDOS modò, sed jam IDOLON: unde idololatria omnium temporum omnis. LXXVII.

4. Et sic tandem illud vigil somnium similitudinum fit nobis actu magicus hic mundus ERRORIS: ubi omnia idea, nihil res: omnia datum, nihil ratum: omnia credere, nihil fides: omnia igitur OPINIO, nihil SCIENTIA. Quin ubi sanctissimam sublimitatem ipsi Doctores putant, nil computare: nec a sensu cognoscere, sed a mente somniare. LX.

5. Regnat itaque etiamnunc eadem illa corybantica archimagia prisci mundi: regnat per Phantasiam barbarè sublimem. LXXXVII.

Digitized by Google

Quam tu phantasiam HECATEN puta illam antiquorum faticanam, noctivagam

— *caeloque ereboque potentem.* VIRG.

HECATEN triformem?

mentis, ingenii, somnii.

Nam & sophicâ MENTE — praecidit et abstrahit rerum omnium species, tandem necromanticas: & poëtico INGENIO — distrahit speciem unam in mille formas analogicè ludicras: & politico SOMNIO — contrahit mundum sibi novum erroris ac terroris, mundum hunc amentiae mirum ac dirum.

O HECATE phantasiae, tripotens mente, ingenio, somnio: jam igitur dilucet, cur sis & mater oraculorum, & maga visionum, & regina furiarum.

6. Ideoque divinitus mentis etymologiam revelasse videtur CASSIODORUS: απο της μηνης, a Lunâ: quia rerum ostendit nil nisi phasin. LXXXIV.

7. Nec ipso actu mens, archimaga errorum illa, esse comperitur aliud, quàm phantasiae sublimitas: sicut ingenium, phantasiae vividitas: somnium, phantasiae demum vera vis. VIII. LXXXIII.

8. Et hinc in suâ OPINIONE, quantumlibet & sophicè sublimi, & poëticè ingeniosâ, tamen politicè demum ſit somnambulus verissimè quisque: etsi vel

maximè vigil videatur, dum aut fictione suavior ludit, aut factione gravior furit. VIII. LXXXVIII, 2.

§. XCVII.

En tibi nunc tandem SIMILITUDINIS mundum: specie, analogiâ, auctoritate, metaphysicum, poëticum, politicum. LXXXIV, 3. In quo, PHANTASIAE unius mente, ingenio, somnio demum vigili, abstrahitur, distrahitur, contrahitur Humanitas. XCVI, 5, 7. Videlicet, quia immensum est datum, nihil ratum: ubique tale, nusquam tantum: vagum Omne, certum quid? LXXXII, 2. VIII. XLIX.

Unde triplex fuit semper universa FATUITAS humana.

1. Fatuitas sublimis: seu, abstractio sophica: qua quis, vagas rerum species unicè mirando, fit abstractus, abstractior, abstractissimus.

2. Fatuitas splendida: seu, distractio poëtica: qua quis, varias rerum analogias unicè amando, fit distractus, distractior, distractissimus.

3. Fatuitas sacra: seu, contractio politica: qua quis, cujuscunque demum simulacri vulgo monstrati auctoritatem unicè colendo, fit contractus, contractior, contractissimus.

Digitized by Google

4. Totius autem Phantasiae una et continua est ECSTASIS, nimirum, ex stasi seu statu rerum, LXXXVI. 2: ecstasis, itidem minima media maxima: Stupor, Amor, Furor.

§. XCVIII.

„Hanc revelationem hujus mundi evidentissimam esse video. At verò videtur simul: nil omnino aliter intelligi posse, quàm specie, analogiâ, et auctoritate, id est, quàm SIMILITUDINE."

Credunt quidem scholarum summi somnambuli, se omnia intelligere per IDEAS: at jam ipsas ideas quomodo intelligant, non quaerunt. Noscunt per signa: sed ipsa demum signa unde noscunt?

2. Palam igitur cuncta redeunt ad vivum SENSUM. Quo & datum & ratum: & ideam & rem: & minimum & maximum: cognoscimus. I. VI. XLIX.

3. Nam etiam illusionis illudens illud est verè sensu datum quid; sed idem, quantum sit, non est ratum, ideoque sine ratione fit irritum. VII. VIII. XIV etc. XXXIV, 2. XLIX, 6. LVII, 6. LXXXII, 2. Etsi vagae istius Fatuitatis mirè magnifica datur synonymia; PER SESE, transcendenter, absolutè: id est, ecstaticè, amenter, sine modo: ergo, palam irritò et infidè, ad sum-

Digitized by Google

imum usque antitheismum, quia contra divinam & rationem & fidem TANTI. LVI. LXXI, 4. 9.

4. Attentione autem probâ, non modò quale, sed & quantum sit objectum omne, sensim definitur: atque ita eidem sensui Universum demum non modò ideatum fit; sed & ratiocinatum actu. XIII. XLIX.

5. Sensus itidem, qui non sibi harmona velit et expertior harmonis harmona in infinitum: is ne cogitari quidem potest in rerum Naturâ. XLIX, 8. L. LXIII.

6. Econtra verò patet: IDEARUM dari nec intellectum nec rationem, nisi vivo sensu: et eas demum esse nil nisi minimas objectorum signationes, seu, ubique superficiariae similitudinis vagas notiones: quas intus actu transcendit SENSUS ille totus, non aliter ac visionem tactio et speciem specimen. LXXXIX, 4. XC, 4. Unde μεταφυσικον saepius & infantile & infandum videtur.

7. Tantum igitur habet illa scholarum altè cogitatricium notio prae cognitione sentiendi actuali et vivâ; quantum habet somnium prae vigiliâ, Phantasia prae Naturâ, infantia prae sapientiâ, et ubique MINIMUM prae MAXIMO. XIV.

§. XCIX.

Nam FICTUM non quaeritur mentis; sed FACTUM entis.

Digitized by Google

2. Id quod adeo vivè senserunt mortales, ut quatenus licuit prae Fictione mentis illâ barbarè sublimi; eatenus Factum entis, non specie sed specimine, non abstractione sed attentione, sedulò notarunt. Unde artes verae, vero sensu, divinitus repertae.

3. Quarum artium exemplar est MATHESIS: quae nil vagè speculatur unquam, sed actu ipso cuncta experitur: empiriâ adeo minutissimâ, ut in ipso minimo sui DATI videat maximum & rationis divinae & scientiae suae. IX. XIII. XXXIV.

4. Est autem hoc MINIMUM, non abstractionis illud extimè summum, seu species velut umbrae; sed attentionis intimè maximum illud ac definitissimum, velut centrum certitudinis, e quo nobis mundus VERI oritur divini. XIII. XXXIII.

5. Differunt igitur universè
Metaphysica et Mathesis
quatenus
magnitudo et quantitas
seu
VAGUM et CERTUM.

6. Non in OBJECTO differunt: nec est enim essendi nisi unum ens aut sentiendi nisi sensus unus. IV. V. VII. Sed palam differunt quatenus tale ac tantum:

seu datum et ratum, ix. x: hinc demum quatenus ERROR et VERITAS. III. VIII. Nam erratur nunquam, nisi vagè, vagè: putando, non computando: dum credis, non scis: et vigil somnias, non judicas: tibi ludens irrita et infida, sine ratione et fide. xcviii, 3.

7. „Ergo nec notio a notionis constructione aliter differt quàm vagum a certo?"

Ne ipsa quidem intuitio a notione, seu perceptio a conceptu, aliter differt universè quàm indefinitum a definitò seu vagum a certo. x. xiii.

Et erit igitur notionem construere aliud nil, quàm ostendere sensum vocabuli, quantum liceat, definitissimè. O sophicae altitudinis mysterium magnum. Suas notiones construere jam nequit nequissima scholarum impostura. Id est: sensum vocabuli ostendere nequeunt a mente sophi amenter abstracti. Nam quid habet MENS vaga phantasiae, quod non sensui surripuerit: cornicula, jam tristia sublimè cornicans,

Furtivis nudata coloribus —— HORAT.

At faticana mox et altior distinguit inter NIHIL ideale et NIHIL reale: ideales plumas habet: reales non habet. Et unde ideales? a VISIONE sine VISU. xc, 6. LXXXIX, 3.

Digitized by Google

Nam etiam ideales plumae, evidenter tamen plumae sunt: visu verè signatae.

8. Et COGITARE, seu mente videre, quid est aliud quàm IMAGINARI? vel reminiscendo, vel eminiscendo si quid e memoriae abysso excitatur aliter, quàm in sensu. LVII. Nisi enim aliter quàm in sensu; jam tu palam non eminisceris, sed reminisceris et ea COGITAS, quae SCIS. Imaginans autem, arte fingit: invitè, somniat aut furit: naturaliter, cogitat. Tamen etiam haec naturalior memoriae coagitatio seu cogitatio intus, quàm esse possit mirè varia, vides: vivida, languidior: subita, meditatior: et inde illud imaginatum itidem vividius, languidius, subitum, meditatum, e summo vel imo Cogniti, e minimo vel maximo sui Objecti. Nam ingens illud A PRIORI esse aliud nil quàm A DATO, cui non patet?

9. Ni tu demum ad notiones sine constructione, id est, ad vocabula sine sensu, transcendis: ut nempe tibi transcendentalem habeas Philosophiam in quavis notione sine constructione, seu, in quovis vocabulo sine sensu. Etsi et hanc inanitatem suâ diâ vi Natura vetuit, adeo, ut vel amentissimo difficillimum sit ad amentiae transcendere NIHIL. XCI.

Digitized by Google

Quid igitur? distinguit illa mentis annosa cornix inter cornicationem suam et evidentiam Naturae: inter subjectivum et objectivum Dati: inter ideam et rem. At ipsa ista cornicatio per subjectivas ideas: etsi actu nil nisi maximi minimum: tamen est realissima, in divinâ ratione TANTI. v. XIII.

§. C.

Quantumvis autem ideale vagum illud transcendat ad extimè SUMMUM; tamen reale certum hoc unicè progreditur ad intimè MAXIMUM. VI. XXXIII, 6. LXXXI, 6. etc. XC.

2. Ideoque MENS metaphysica opponitur SENSUI mathematico: velut SUMMUM erroris opponitur MAXIMO veri. Nam ad maximum sui Cogniti & intenditur & extenditur Sensus. XXXV.

„At MAXIMUM, nonnisi relatè nobis.“

Tamen semper suâ sibi constans actuali ac divinâ ratione TANTI. XIII. XXXIII. XXXIV.

3. Et hinc intelligitur, cur contra PHANTASIAE humanae, seu Mentis, regnum trinum, habeamus MATHESEOS, seu Rationis divinae, itidem regnum trinum, in eodem ordine minimi medii maximi. Videlicet contra

μεταφυσικον, παραφυσικον, αντιφυσικον:
φυσικον, τεχνικον, ἁρμονικον.

Digitized by Google

Intelligitur, cur contra Phantasiam

sophicam, poëticam, politicam,

habeamus Mathesin

physicam, technicam, harmonicam.

4. „Jam hercle tam evidens quàm Erroris illud ABC si etiam hoc Veritatis ABC mihi reddideris; nihil non altius intelligam.“

Facillimè hoc et illico patet VIDENTI. Palam enim a rebus — excitamur ad opus omne — quo tamen usque intendimus totum quiddam nobis optimum.

Quaerimus igitur physicè, quantum rei? technicè, quantum operis? harmonicè, quantum totius?

Opus autem heic latissimè intelligitur: adeo, ut quidquid esse possit ARTIS humanae, etiam in sciendo, et omne igitur EXPERIMENTUM, mihi dicatur opus.

Unde nobis universim

res, opus, totum:

Natura, Ars, Salus.

Id quod multò fit clarius, si dicas, aut analyticè ab exteriori,

REM Naturae, OPUS Artis, TOTUM Salutis:

aut syntheticè ab interiori

NATURAM Rei, ARTEM Operis, SALUTEM Totius.

Digitized by Google

5. Clarissimè demum intelligitur haec universa mathesis, si opponitur Phantasiae.

Nam sophus, poëta, politicus, Phantasiae magistri: non in ſentiendo, sed in cogitando: non in ſacto, sed in ficto: non in specimine, sed in specie; quaerunt non reale, sed ideale, nec maximum sed minimum RATIONIS. VI. XV. LXXXII, 3. XC. Nempe: quousque illa opponi possint.

6. Unde differre vidimus illa duo regna Erroris ac Veri: quatenus VAGUM et CERTUM, tale ac tantum, phantasia et natura: id est, quatenus Fatuitatis humanae IDEALISMUS et Sapientiae divinae REALISMUS: simplicissimè igitur, quatenus in mente datum et in ente ratum, seu MATHEMA et MATHESIS. XCIX, 3. etc. LVII, 6. LXXXII.

Quam differentiam repeto, ubique principalem.

§. CI.

„Eò jam itaque archimetricè ventum est, ut IDEALISMUS ille tandem quid sit, pateat?"

Quid sit, en actu vides: rerum somnium, fabula Naturae: ipsum igitur illudium Phantasiae, sophicum, poëticum, politicum: ipsa illa amentia, qua nihil non a mente mentitur error. XVI. XLVIII. LXXXII, LVII.

2. Hinc IDEALISMO excellit ecstasis

Digitized by Google

universa, stupor, amor, furor: idealismo excellit fanatica omnis mantia et mania: idealismo excellit gyrgathus. xcvii, 4. xl. lxxxvii. Nec aliter vel exstitit vel exstat illa humani generis FATUITAS, sublimis, ſplendida, sacra: illa, sine Ratione, altitudo mentis barbara. viii. xvi. xxxviii. etc. lii, 5. lxxii, 6. lxxiv, 2. xcvi, 5.

3. Nam est Phantasia & tota idealis & tota transcendens. Nil agitat nisi SUMMUM et SUPER: rerum nempe facillimam signationem: rerum vagè varium somnium. lxxxi, 6. lxxxviii.

Unde Phantasiae seu mentis humanae theoria omnis est SUPERSTITIO: et praxis omnis est SUPERBIA. Per unum illud SUPER. lxxxiii. xciii. xcviii, 3.

4. E contrariò Mathesis est & tota realis & tota descendens ad minimum TANTI: e quo nihil non definit maximum et e certitudinis centro sibi demum Universum scientiae. ix. xiii. xxxiv. xcix, 3. Est autem reale? ubique tantum dati. v. xlix.

Unde Matheseos seu Rationis divinae theoria omnis est PROBATIO: et praxis omnis est PROBITAS. xlvii. lxii.

5. Jam hercle, quià datur nil nisi verum, et reale ubique est tantum dati; palam dilucet, mathesi actualium divinâ

Digitized by Google

rationem omnem contineri, nec errari niſi vagâ mente phantaſiae. v. viii. xiii.

„Dilucet. At in eo tamen regno Matheſeos ac probae ſcientiae trino, minimum illud et maximum, ſeu REM ac TOTUM, univerſè patere video; ſed medium illud, ſeu OPUS, non videtur id omne, quod agant homines, indicare.“ c, 4.

Cur verò? quia in Matheſi ſeu divinâ Ratione nunquam humana vel notio vel actio ulla conſideratur indefinitè; ſed tanquam hoc opus hujus artis ac definitiſſimè tanta, quanta vel ſit vel eſſe debeat. xii. xlvii. 1, 4.

6. Ergo, & notio & actio humana omnis aut mathematica erit, aut phantaſtica: aut vera, aut erronea: aut proba, aut improba. Nec aliud eſt indifferens, quàm ignotum.

7. „Horreſco ad illum rigorem: ſed lux alma illius divinae Rationis hilarat.“

Verè horrifica eſt Phantaſia: non Matheſis. xcvi, 5. Verè horrificum eſt illud immane ſomnium abſtractionis uſque doctrinale, quo mille tibi fingas olympos ac tartara: et altiſſimè demum, quo mille mundorum rideas ruinam. lxiii. lxxii, 5. 6.

At SENSUS econtra verè divinus ille, MATHESIN actualium divinam obſervans, vult neceſſariò ſibi harmona harmoniſque

Digitized by Google

harmona in infinitum: unde, modum omnem modorumque modum sensim definiendo, RATIONEM demum & TANTI & TOTIUS discit, usque ad Universi panharmoniam. L. LXIII. LXX.

8. Hinc id ex hac MATHESI consequitur memorabile: historiam verè pragmaticam non esse actionum humanarum, sed operis humani: esse igitur historiam humanae artis aut inertiae, id est actu, humanae rationis aut amentiae. LXII. LXXII, 2. 3. Adeo ut ipsâ narratione pateat verè, tot mentes altissimas, tot clarissima ingenia, nil fuisse nisi histriones mundi barbarè inertes: tot heroes, uni genti deos, alteri genti nil nisi belluas: prudentiam igitur plerumque nil nisi astutiam ferinam: fortitudinem nil nisi brutum impetum.

• Nimirum si facinora ea jam archimetricè aestimas velut ARTIS opera ad id, quod intenderunt, SALUTEM quantumpote maximam.

9. Physicae autem actiones mortalium ad res NATURAE pertinent: non ad artis opera. C, 4.

§. CII.

„Et mathesis demum harmonica illa?"
Eam aestimat rationem, quam habet aut

physicè res ad salutem mundi, aut technicè opus ad salutem humanam. c, 4.

2. Unde patet, AESTIMATIONEM esse velut ipsam sapientiam et omnia metiri ex ratione TOTIUS: divinam igitur continere demum rationum rationem et illud scientiae MAXIMUM. Nam physicè quidque indicatur: technicè judicatur; harmonicè aestimatur. A potiori si denominas illos verè sciendi gradus. XXX. L, 4. CXX.

3. Ita demum RATIO rerum, sensu attento nobis observata, fit Ratio nostra seu vera sapientia: fit & nobis tandem nota mathesis actualium illa divina, e qua palam elucet omnis & theoretica & practica REFORMATIO in hoc axiomate: Quidquid non est mathematicum, id omne est irrationale.

„Quidquid non est mathematicum, id omne est irrationale?"

Verè ac verissimè. Nam & RATIONALE illud, quod primò: & FIDUM illud, quod secundò, vidimus: utrinque verò TUTISSIMUM: nonne palam divinâ mathesi tanti constant usque ad maximum? XI. XII. XLIX. LXX.

4. „At quae tamen divina mathesis TANTI ac MAXIMI saepe in casu erit difficillima."

Artem artium quis facilem putarit? LXIII. Geometra et Judex, veri cognitores

Digitized by Google

MAXIMI, quàm igitur facilè sibi vel Factum vel Faciendum determinant? Quin & vulgò PROBATISSIMUM illud verae PROBITATIS nonne arduum? ac tamen erit usque et ubique necessarium. Idem in omni ARTE verâ experimur: ubi, quia τα καλα δυσκολα, an ideo ad inania mentis ludibria, velut ad magiam, confugimus? LXIV, 4.

5. Facilitas non est nisi levitatis. Ao pol, quia levissimum erat facillimum; en ubique tibi vaga mendacia mentis, pro Philosophiâ. LXV, 5.

6. Et in ipso RECTO harmoniae humanae cur esset DIFFICILE facilius, quàm in ipso VERO harmoniae divinae? L, 4. LXIII.

Ergo, ne in ambiguo casu ambigas, tu ad summam transcendere stultitiam mavis, et, eudaemoniâ spretâ, cacodaemoniam absolutudinis imponere mundo? LXXII, 5. 6. LXXXVI.

Etsi tamen usque, in ancipiti casu anceps, in praecipiti non ruere, qua tu vi evitabis?

7. Jam en verò tibi ille terror panicus a mente amentium: EX DUOBUS MALIS MINUS. Quod & vulgò ita facillimè discernitur, ut in omni fere instanti humanae vitae nil agatur aliud, quàm electio minoris mali. Ac vel in maximis: en ruunt myriades

in horrida bella: dum cogitabundus devovet, sese CATO, tyrannum BRUTUS. Quin „PAETE, non dolet" ARRIA verè ait serena. Nec vel indicos rogos, vel Gothos de fati rupe laetè praecipites: aut illa, vel prisca martyria heroicarum virginum, vel nova guillotina cui non irrisa: nunc loquor. LXXXVI, 7.

8. Ergo: mori divinè faciliùs posse mortales, quàm vivere humanè, patet. Sed murcorum omnium umbraticissimus: metaphysicus murcus: is trepidat usque metuens, ne non sibi constet constantia, ne non forti adsit fortitudo et sua viro virtus. Ideo is e suo specu illud intonat fanaticum OPORTET. XLIV. LXIII, 6.

9. Et quid igitur oportet — in casu? a mente pessimum: an optimum a sensu divinae rationis? mundi salutem an ruinam? LXIV, 3. LXXII, 5. 6.

Dic enim Geometrae vel Judici: OPORTET: et cogitant illico ii divinum TANTUM & Facti & Faciendi. Dic item architecto, musico, pictori: OPORTET: et sentiunt illico ii vivo amore, MAXIMUM harmoniae. XXII. XXXVII. L, 4. LXII.

Nonne dilucet: mentem altissimam nunquam defuisse huic mortalium amenti mundo, sed ubique mathesin divinae rationis

VIII. XI. XVI. XXXVIII. XXXIX, 2. XLIV. XLV, 2, 6. LXIII, 7, 8, 9.

§. CIII.

„At illud MAXIMUM harmoniae nentiquam tamen est absolutum; sed verò maximè respectivum.“

Nec mehercle tibi tuum CAPUT est absolutum; sed verò maximè respectivum. An ideo cacodaemonicam ideae unius absolitudinem velis potiùs, quàm eudaemoniam totius tui capitis, capitumque omnium harmonicam?

„At hanc esse impossibilem si palam sophus docet?“

Tum is palam a mente suâ mentitur. LVI, 7.

2. Nam in omni ARTE palam vides panharmoniam humanam: legem OPTIMI actualem: divinam rationem tanti ac totius; veri MAXIMUM. LXII, 3. LXXIII, 6. Quin & MATHESIN PROBABILIUM, ad ludorum usque ancipitia, EANDEM esse & homini & Deo, in mundo intelligentiae, patet. LII. LIII, 2.

Ergo, si non in altiori actu vides idem; jam id unde? palam ideo, quia nulla datur ARS virtutis et nulla doctrinae divina ratio; sed liberè per fanaticos OPORTET OPORTET ruit mens amens. XLIV. LXXII, 2, 6. XVIII. XX.

Digitized by Google

3. Quin demum: ABSOLUTISMUM, seu summam abstractionem, esse ipsam mentem AMENTIAE: et e contrario ARTIS harmonismum esse ipsam rationem SAPIENTIAE: dilucet. LXXXVI. LXXXVII. XCIII. CI, 2.

4. Hinc verò nihil, omnino nihil rectè sancitur a NUTU mentis; sed vel minimum a NUMINE entis: id est, a ratione divinâ illâ TANTI, vel IN essendo vel AD essendum. XII. XXXIV. XLVII. XLIX. L.

5. Et quidquid igitur aut cogitet mens aliter quàm in sensu divino TANTI, aut velit aliter quàm in sensu divino TOTIUS: quidquid igitur, ultra hanc RATIONEM rerum vivam ac divinam, a SESE, aut cogitet aut velit: id erit amens. Nam cogitare quid aliter quàm in sensu, id cui sano non dicitur DELIRARE? et velle quid sine ullâ ratione MODI, id cui sano non dicitur FURERE? Ideoque, nec est alia theoria MENTIS κατ' εξοχην, quàm κατ' εξοχην AMENTIAE; nec aliud peccatum originale humani generis, quàm a mente sapere suâ, non a TANTI ratione divinâ. XVI. XXXVIII. LXXXVII.

6. Cui menti quidem materialiter inesse nihil, dudum sophi non sat amentes videre sibi visi sunt. At menti etiam formaliter inesse nihil, nisi amens, amentius, amentissimum, quidvis: id pol a mente suâ

Digitized by Google

non divinant ii, sed nos a sensu nostro palam experimur. VIII. XVIII. CI.

7. Nam ista mentis formalitas, quaenam? PER SESE et ABSOLUTE: id est, ECSTATICE et SINE MODO: cum horribili antitheismo, quia contra divinam omnem rationem TANTI ac TOTIUS. XVI. LVI, 6. LXIII. LXV, 5. LXXII, 6.

8. Evidentius tamen quid est in rerum Naturâ, quàm hoc ipsum: nec VERUM, nec BONUM, esse libertatis humanae sed necessitatis divinae?

Unde in Arte verâ vel minimum ridetur, quod quis arbitrio agit suo, non ratione tanti ac totius, id est, non OPTIMI lege. L, 4. LXXII, 2. Quin & FICTUM sensatior non laudat nisi FACTO simillimum: et is tamen opus idem, quatenus fictum, vel intus ridet suavior vel palam spernit gravior.

9. Nec usquam vero actu mens aestimatur SANA, nisi ubi NULLA: in sensu divino TANTI. Et mathematicus non cogitat vagè, sed cernit vel minima: ut ei datum fiat ratum, ac tale tantum. XCIX, 3. CI, 4. Verè igitur sensus regit mentem: mens non sensum regit potentiùs ni deliras, nec absolutè, ni jam in amentium olympo, GYRGATHO. XXVIII, 3. XL. CI.

Digitized by Google

„At quo demum RECTI regimine ipse regitur SENSUS?“

Id en palam: ARTE seu ratione divinâ: maximè verò artium arte, mathesi harmonicâ TOTIUS.

§. CIV.

„Mihi sanè jam constat: non Fictum quaeri mentis, sed Factum entis: et hoc Factum nobis divino sensu divinitus dari.“ IX.

Ita palam. Ni tu per inania vocabula sapere velis: adeo SINE SENSU, ut nec intellectus intelligatur, VI. aut quid sit scire scias, I. III. V. sed stupeas demum ad omnem intus memoriae coagitationem seu cogitationem, XCIX, 8. ad illam igitur omnium animantum vim imaginatricem, quae variè excitata nos variè concitat.

2. Summè verò summi sophi stupent ad summas illas vagè visas species visu-vocalium: dum

Levisomna mens sonorinas imagines
Affatur. VARRO.

quas minimas rerum signationes chaoticè adumbrat illa intus vis omnisomnians: et quas mirâ synthesi ludit reluditque νȣς αοϱατος θαυματοποιὸς, mens invisibilis histrio. LVII, 4. LXXIV, 2. LXXIX. LXXXIX. XC.

Digitized by Google

3. Et in eo summo stupore principium humanum Phantasiae, COGITO, adorant: non principium divinum Naturae, SENTIO, I. XLIX. L. XCVIII. XCIX.

Adeo ut jam doctoraliter nobis Omne fiat — in mente datum, non in ente ratum: fictum, non factum: et vel summum axioma nil nisi mathema sine mathesi. VIII. XVI. 3, XVIII. etc. C, 5. 6. CI. 3. 4.

4. Nam A PRIORI esse formas et ideas alias nullas, quàm PHANTASIAE summè vagas illas: id sophi non divinant ideo, quia omnem vocabulorum sensum purè somniando crassè ignorant. LXXXIX. XCI. XCIX, 7, 9.

5. Ergo, en omni aevo — transcendentiam SOMNII pro Philosophiâ: NUTUM pro Numine: et altè cogitatam a mente amentiam omnem. XVI. LXXXVII. CI.

§. CV.

At postquam distinximus evidenter — MENTEM metaphysicam a SENSU mathematico illiusque divinâ ratione, velut VAGUM a CERTO, velut ITA et EATENUS, velut SUMMUM et MAXIMUM rei: in praxi autem, velut puto et computo, velut mentior et metior, velut fraudem et fidem. LVI. LVII, 6. XCIX. jam redimus ad ipsam

Digitized by Google

archimetriam, non Erroris illam in similitudinum illusione omni, sed hanc Veri archimetriam in REI naturà, OPERIS arte, salute TOTIUS. C, 4.

Sicut Phantasiae ILLUDENS illud increscebat per speciem, analogiam, auctoritatem. LXXV, 5. LXXVI. LXXXIV. ita etiam Matheseos seu Rationis divinae ILLUCENS omne increscit per

δεῖξιν, ἐπιδεῖξιν, ἀποδεῖξιν:

a δεικνυμι, quasi per speciminis, et experimenti, evidentiam. Illucet actuale nobis OBJECTUM per dixin, epidixin, apodixin: dum objectum illud monstratur, commonstratur, demonstratur — per entitatem veram seu physicam, per historiam genuinam seu technicam, per evidentiam harmonicam TOTIUS. C, 4.

1. Ita enim quaerimus per DIXIN seu entitatem physicam rei: e. g. quaenam sit saporis, odoris, sonoris, doloris, idea seu imago? quaenam invisibilium illa visio et mentalium intuitio? nam, in dixeos entitate physicè verâ, nihil videt nisi Visus et nihil cernit nisi Oculus. VI. LXXX, 8. LXXXIX, 3. Unde summum illud A PRIORI esse demum videmus A PHANTASIAE MINIMO seu signatione Dati, usque ad inane vocabulum. CIV, 2. LXXXIX, 4. 5. 6.

Digitized by Google

2. Jam verò per EPIDIXIN seu historiam genuinam studii, experimenti, operis humani, de re datâ quaerimus: non modò quid cuique videatur? sed quid omnino omnibus peritis, peritioribus, peritissimis constet? adeo ut, quantum liceat, ubique PROBATISSIMUM judicemus. LVI. LXVII. etc. Nam sine hac EPIDIXI seu historiâ genuinâ, en illico Experientia humani generis et Fides publica mundi disperditur: quodvis videtur cuivis: omnis in immensum credendo gliscit impostura: et ubique demum certi nihil erit, nisi ipsa illa transcendens ac barbarè sublimis mentalium somniorum autodoxia. XXIV. LII, 5. LX. LXXIII. LXXIV, 2. LXXXVII.

3. Per APODIXIN tandem seu evidentiam harmonicam TOTIUS — quidquid ita cognovimus & indicatum physicè & judicatum technicè, id aestimatur ad rationem TANTI et MAXIMI: non putando, sed computando: non mentiendo, sed metiendo: non fraude sed fide. Et quoniam nihil in rerum Naturâ est, quod, QUANTUM sit vel IN essendo vel AD essendum, aestimari non possit; ideo universae cognitionis & humanae & divinae una eademque est APODIXIS seu evidentia TOTIUS. V. VI. XII. XIII. XXIX. XXX. XXXIII. XXXIV. XLIX. L.

Digitized by Google

Quatenus verò apodixis illa deficit; eatenus nil cognoscimus actu. VIII. XIV. XLVII. XLVIII.

4. Unde jam dilucet, cur STOICI mirabile illud paradoxon statuerint: Sapientem nil opinari.

Nam quidquid non est mathematicum, id omne est irrationale ac palam igitur insipiens: quidquid autem est mathematicum, id suo TANTO est definitum ac palam igitur CERTUM: cujus non datur opinio, sed scientia. LII. LIV. Et hoc idem sibi constat: seu quaeras theoreticum quidquam, seu practicum: verum, aut bonum: IN essendo, aut AD essendum. XI. XII. XIII.

§. CVI.

Itaque uno demum conspectu nostrum en Universum.

Sensus nunquam transcenditur, nisi palam in iis, quae sunt sine sensu: hoc est, inanibus in vocabulis. LXXXIX. XC. XCI. XCVIII. At verò vocabula, quatenus intelliguntur, eatenus etiam suum habent DATUM: nam nihili nihil. IX.

2. In ipso tamen Dato quidquid VAGUM est, id per omnem possibilem verisimilitudinem gignit omnem opinionis errorem. II.III. VIII. XVIII. XXXIV, 3. XLIX.LIV, 3. Sed certum semper erit et certissimum:

Digitized by Google

TANTUM dati. XIII. XXXIII. XLIV. LVII, 6. Hoc igitur CERTUM, hoc tantum dati, nostram constituit scientiam. Et ipsa evidentia TANTI est RATIO illa divina, velut anima scientiae. XI. XII. LVI.

3. Datum autem, in suâ solâ specie, saepe minimâ, vocatur objectum: quatenus existens, ens: quatenus formatum, idea: quatenus notum, notio. V. Sed quia nec essendi datur nisi unum ens, nec sentiendi nisi sensus unus; ideo nil datur nisi verum. VII. VIII. XCIX, 6. Etsi MAXIMUM dati cujuscunque κατ' εξοχην ipsa RES vocatur: VI.

4. Quin idem illud nobis divinitus & sensu datum & attentiori sensu ratum, si ex memoriâ cogitatur ita ac in ipso actu comperitur, FACTUM vocatur: si aliter, FICTUM: quae ni distinxeris, tibi a mente tuâ omnis oboritur amentia. LVII, 6. XVI. CI. CIII.

5. Ergo FACTI est scientia tota. Unde mathematicus in actuali Dato QUANTUM dati? quaerit: EMPIRIAE rationatissimae princeps. XCIX, 3. etc.

6. Ac pantomathesis igitur Dati cujuscunque, & theoretici & practici, & IN essendo & AD essendum, scientia erit universa. XII. XXXIII. XXXVII. L. — Videlicet:

Digitized by Google

MATHESIS
Naturae, Artis, Salutis:
physica, technica, harmonica:
in
RE, OPERE, TOTO:
illucens
per
dixin, epidixin, apodixin,
ſpeciminis, experimenti, maximi:
actu RATIO divina
ſeu
ARCHIMETRIA: C. CV. XII.
contra quam
ARCHIMAGIA phantaſiae vagae,
ſpecie, analogiâ, auctoritate,
ſeu omni ſimilitudine
mentis, ingenii, ſomnii,
illudens
ſophicè, poëticè, politicè,
humanum genus concitat
in quamcunque
ECSTASIN
ſtuporis, amoris, furoris. XCVII.

7. „Matheſin illam & phyſicam & technicam intelligo: at matheſin harmonicam TOTIUS nondum ſat clarè.“

En igitur agnoſce moralem philoſophiam: cujus divinam nec vim, nec eviden-

Digitized by Google

-tiam, nec magnitudinem divinant scholarum archimagi; sed quam usque a mente amentem, contra Naturam et Naturae Numen, antitheisticè fingunt. LVI, 6. Unde officia ecstaticè vesana: seu, omni aevo, ista fanatica altitudo DONQUIXOTISMI. XLIV. LXXII, 6.

8. Est autem vera virtus, verum Officium, quid? nostra observantia divinae rationis; XI. XLVII. LXIII, 6. L. Hujus igitur Virtutis vera SCIENTIA erit illa mathesis harmonica TOTIUS.

Sed in ipso actu VIRTUS est ubique: vis harmonica. Eâ enim notione continetur omnis omnino virtus & Numinis & monadis & universae demum Naturae. XXXVIII, 4. 5. XLI. XLII. L. LXXIII. XCVIII, 5. CII, 9.

§. CVII.

Ut autem facillimè distinguas illos GRADUS omnes & illusionis & evidentiae: exemplum nobis esto POMUM hoc, quod heic vides, velut ex arbore scientiae.

1. Istius Pomi — en illico tibi SOPHICAM speciem: nonnihilitatem: ipsam objectivitatem seu ens; entitatumque omnia possibilia praedicata, usque ad hoc individuum pomum.

2. Tum POËTICAM tibi lude quamlibet

Digitized by Google

analogiam: nec pomum vide solummodo suaverubens, roscidum, pendulum, fragrans, dulce, etc. sed vel dithyrambicè tibi fiat „numinis filiolus et magni mundi pusio: e flore, veluti Naturae dio cunno, genitus: etiam suâ fulgidulus aurorulâ suoque lumine aurei solis: mundillus almus et alens o quot non animantum saecula, quia ejus in sinu latitat beatula aeternitas pomorum.“

3. Jam in POLITICAM evehe nobis auctoritatem hoc sophipoëticum illudium: et pomum regale sacrosanctum praesenta sollenni pompâ: imperii mundani symbolum, quo intelligas potentiae Omnitudinem: sicuti corona, gemmis radiosa, nobis innuit stellatum Firmamentum.

Ita demum gradus illos habes notionis superficiariae seu SIMILITUDINIS. Habes miracula sophipoëtipolitica: sublimia, splendida, sacra: speciei, analogiae, auctoritatis: miracula mentis, ingenii, somnii, id est, universae Phantasiae. LXXVI. XCVII. XCVI. LXXXIII. Sed actualem si velis habere scientiam; jam, QUANTUM sit id omne, cognocis verè in mathesi divinae rationis.

4. Ergo PHYSICAM rem quaeris in ipso Naturae specimine, per dixin entitatis

Digitized by Google

verae: et cernis pomum actuale. C, 4. CV, 1. CVI, 6.

5. Tum de istâ re noscitas TECHNICUM opus omne humani studii et experimenti, per epidixin Artis in historiâ genuinâ: et pomi habes monographiam, culturam, utilitatemque mirè variam. C, 4. CV, 2. CVI, 6.

6. Jam demum HARMONICAM inire licet aestimationem pomi verè totius, per apodixin Salutis vel mundanae vel humanae, in evidentiâ TANTI usque ad MAXIMUM. C, 4. CII, 2. CV, 3. CVI, 6.

7. Quamvis enim actualitatis seu nativae STASEOS & *διξις* & *επιδιξις* & *αποδιξις* in quocunque gradu cernendo, discernendo, decernendo erit necessaria: sicut, in quocunque gradu illusionis, etiam saepe intenditur ECSTASIS illa stuporis, amoris, furoris, XCVII, 4; tamen *κατ' εξοχην* ad physicam entitatem *διξις*, ad technicam historiam *επιδιξις*, ad harmonicam demum evidentiam *αποδιξις* palam spectant: CV. His igitur actuale tribuas *νοȣμενον*, *φαινομενον*, *ον*: velut minimum, medium, maximum Cogniti. LXXXIV. Iisdemque oppone: nativae REI — metaphysicam Fictionem: artis OPERI — poëticum Figmentum: totali HARMONIAE — politicum Fictum. LXXXIV, 4.

Digitized by Google

8. In praxi verò tu, ad objectam tibi quamcunque ideam, quaere illico specimen: dixin postula, dixin seu entitatem physicè veram: LXXXV. Tum ad specimen quaere itidem experimentum: et epidixin postula, seu historiam technicè genuinam: quousque licet. XXXI. LXXXIX. XC. XCI. Quantillum autem horum datur, tu semper tamen quaere maximum hujus tantilli: et apodixin postula, seu evidentiam harmonicam dati, vel IN essendo vel AD essendum. XII. XXIX. XXXIII. CV. Ita demum omnia verè, in illâ mathesi actualium divinâ, videbis.

9. „Video nunc sanè OBJECTA generatim cuncta — & vagè data illusionis & certò rata evidentiae: video nostram omnem & PHANTASIAM ERRORIS & MATHESIN VERI. Sed mens, mens idealium: illa tibi archimaga: etiamnunc, fateor, me tenet suis illecebris."

Nulla maga placet ei, qui deam dearum, Naturam, vidit. Quam igitur propiùs accedamus.

Digitized by Google

Cap. IV.

S e n s u s

§. CVIII.

„Cogito: ergo sum.“

Et unde scis, te cogitare?

„Id sentio intus vivè.“

En illud imum et primum. Et ipsum hoc MENTALE, quod nunc transcendenter cogitas, QUID sit, unde scis?

Id sentis intus vivè. XXXI, 5.

2. Si autem, non modò QUID sit, sed etiam QUANTUM sit, attendis; jam illud vagè datum fit certò ratum: CVI, 2.

Ergo: sentio TANTUM: principium & materiale & formale scientiae erit universae. Quod principium suâ sibi constare & divinâ vi & divinâ evidentiâ & divinâ magnitudine, vides. Quin ipse Deus ille, ni SENTIAT, nil ejus erit intellectus nisi SPECULUM inane mundorum: et sine TANTO — nil in isto speculo erit nisi VAGUM.

Digitized by Google

3. Cogitas quidem intelligendo per ideas: at ipsas ideas quomodo intelligis? Noscis per signa: at ipsa demum signa unde noscis? XCVIII. Et, QUID sit igitur & COGITARE & EGO & ESSE & SCIRE — unde innotuit? unde constat?

4. Tolle sensum: tollis intellectum. Tolle sensum; et ipse tu tibi vanescis. Hinc jam antiquitus Romani sensum alicujus rei et intellectum alicujus rei synonymicè ac verissimè dixerunt. Id quod in cunctis itidem reperitur linguis: nimirum, ejusdem experientiae eodem communi sensu.

5. Adeo, ut nec vocabulum intelligas ullum, ni scias actu sensum vocabuli. Quem si transcendis; jam nihil intelligis; inania mente volvens. CVI. At sensus ille divinus, vel minimus, en illico dat ALIQUID seu *μεταφυσικον* summum: vividior GENERA et SPECIES: vividissimus ipsum SINGULARE: universus ANIMAM dat animae ac TE tibi. IX. XCII. Et qui tanta dat, is & palam dat omnia Dati data seu ingens illud A PRIORI. CV, 1.

6. O intellectores, altè somnambuli: vos inde vobis purissima ista crassissimè intelligitis: et ab OCULO, specierum archimago, theatri ac theoriae summo artifice, ostentationum et ostentorum totiusque imposto-

Digitized by Google

riae theseos et syntheseos daemone, ab OCULO — hanc omnem Mentalitatem mutuatam esse monstratis. Inde IDEAE seu imagines: imaginumque INTUITIO: et cujuslibet phantasiae vagè varius SCHEMATISMUS.

7. „At celebris tamen ille, Anglorum geometra, SAUNDERSON — caecus altissimè philosophabatur: et ipse DEMOCRITUS, mundorum omnium constructor a priori, sibi oculos excavasse dicitur.“

Videlicet: ne VACUUM nullibi videret et Universum cogitaret cavum, sine vi, sine numine. SAUNDERSON autem ille suum mundum actu & prehendebat & comprehendebat: manuum tactu cuncta sibi construens. Nec ullus unquam intellector esse poterit mathematico materialior et sensualior: quippe qui nil cogitat usque nisi concretissimum sui Dati, nisi TANTUM: et qui, si rerum quantitas ei non sat graphica videtur, illico sibi mundum creat cretaceum.

8. Ita & artifex quicunque sibi visili formâ format idealia. Jam si tactili formâ purè tactilia formaret; an ideo minùs e suo SENSU?

9. „At illud primum, primum Exemplar?“

Digitized by Google

Id exemplar est ipsa RES: ipsa res imitanda. Quae res ideo MAXIMUM est Ideae, quia idea MINIMUM est Rei. VI. VII.

§. CIX.

„Si haec omnia habemus a sensu; quid igitur A MENTE?"

AMENTIAM: amentiam Fictionis, Figmenti, Ficti: id quod palam vidimus: LXXXIV, 4. CIII, 5. XVI. LXXXVII.

2. Et quid est, actu demum, IDEA? Sensio rem illico signans: ut levissima, ita facillima: transcendens, quia extimè summa: pura, quia tenuissima. Cujus sensionis praeclarum specimen est VISIO: ea enim, & latissimè & laetissimè, sentit signando et signat sentiendo. III, 3. VI. LXXXIX, 3, 4, 6. XCIV, 2, 3, CV, I. CVIII, 6.

3. Et hinc intelligitur, cur vel rabidae tigridis vel blandae charitis IDEA, quantumlibet vivida, tamen contemplantem e. g. statuarium vel pictorem nil moveat. Nam est illa sensio IDEAE verè sublimior et nonnisi extimè summa. At sicubi forte interius illud contemplator et vivum actum reminiscendo sentit; en jam illico is non IDEAM habere dicitur, sed, quod ipsae scholae somniantes clamant, SENSATIONEM.

Digitized by Google

4. Unde vulgò illud: ideam formare sibi alicujus rei: saepe MINIMUM similitudinis illusoriae, MINIMUM speciei, analogiae, auctoritatis, indicat. Per ea minima tamen cogitatur illico, et pol sublimiùs cogitatur; sed nunquam, nisi per TANTUM actuale, scitur: cujus TANTI ratio, etiam ubi minima, semper est relatè maxima. XXXIII. XCIX, 3, 4. LXXV. LXXXII.

§. CX.

„Jam & memet revera sensatiorem sentio: at, at AXIOMATA illa summae necessitatis, AXIOMATA aeterna cuncta, me cogunt suâ summâ et aeternâ vi, ut intus agnoscam, purè mentalia dari, quae sensum altissimè transcendant.“

Et hoc igitur divinum tuum Os magna sonaturum tale-ne axioma, stupente mundo, profabitur?

Nam hercle: BIS DUO QUATUOR: fatuum continet veri fatum: quia nihil dat nisi dati datum. Universaliter autem et necessariò istud axioma valet: palam ideo, quia nisi unum in mundo non datur UNUM: nec nisi unum BIS: nec nisi unum QUATUOR: id est, nonnisi una numerandi numeratio, sicut nonnisi una mensurandi mensura. Ergo-ne adeo tete transcendis et visionem omnem, ut jam non videas evidentissimum

illud, numeros et lineas Omnia signare: cur verò? quia non datur nisi UNA quantorum QUANTITAS?

2. Itidem hoc: NIHIL SINE RATIONE. Nam negativum non intelligitur nisi per suum affirmativum. Ergo, quid actu statuitur? hoc palam: OMNE est rationatum. Jam OMNE hoc nobis, quale? continuo in motu: continuo in MOTU, etiam si solâ inerti vi tendentiae. Unde antiquissimum illud: a nihilo nihil; illico in A, A nihilo, en Datum dedit, continuum mundi MOTUM. Et in his item: A MENTE nil intelligitur: A MENTE nil nisi amentia: illud A motum actualem innuit. Quid ergo jam dicitur in primo axiomate? hoc demum: „Universum in motu: agitur agens: nil est, nisi factum." Id quod, actu verissimum, nunquam tamen fiet absolutum, nisi vagè jam ab omni Naturâ solutum. At verò abstractissimè, si RATIO tibi nil sit nisi: id, per quod intelligitur quidquam: tum evidenter istud erit axioma identicum hoc: „Nullum ens sine suâ essentiâ, per quam est."

3. Nec INFINITUM ipsum negatè — aliud est quàm affirmatè OMNE. In quo, si verè nil est nisi factum; etiam necessariò nil est nisi FACIENS. Unde hanc in

Digitized by Google

omni potentiâ omnipotentiam, et virium vim et sensuum sensum et harmoniae rationem et entium perpetuum illud intus ens, non cogitamus nisi vivè sentiendo. Quin palam: non Factum solummodo ac Faciens, IN essendo; sed etiam Faciendum, AD essendum; eâdem necessitate vivâ Naturae sentimus. XII. XXXVII. XLVII. L. LXIII, 6. 9. LXXXV.

4. Et quantumlibet saepe vaga sint ea, quae sentimus; an tamen ideo minus vera et viva? Nam ipsam, ipsam VITAM nonnisi vagé sentimus: ipsam VISIONEM, ipsam SENSIONEM demum, itidem. O Fatuitas fatuitatum: quam in sophis altissimam ideo sentimus quia & inanitatem altissimam en actuali sensu miramur: nondum igitur, post tot millennia fatuationis, vident isti visionarii evidentissimum hoc: quia nec essendi datur nisi unum ENS nec sentiendi nisi SENSUS unus, ideo nec MINIMUM aliter videri quàm maximum nec MAXIMUM aliter quàm minimum. Hinc notionem non aliter sensui dari quàm notionis notas: nec Omne dari aliter quàm singulum, vel TOTUM aliter quàm partes: et vice versâ. Id est: ideam confusam Totius — ridiculè intuitionem κατ᾽ ἐξοχην vocari: ideam distinctam notarum econtra — nonnisi

conceptum sine intuitione vacuum. Quasi verò aliter hominem cogitare liceat per suas omnes notas, quàm hominem totum ac notum videre vivè: aut quasi notarum ille con-ceptus aliud sit quàm idea TOTIUS, cujus distinctae partes con-capiuntur: et a quo con-ceptu intuitio rudis illa tantò demum superatur, quantò a lumine umbra. Ergo-ne tibi Domus vagè visa, sed intuitione actuali, ritè videtur constructa; eadem autem in suo CONCEPTU, seu distinctissimâ partium ratione, tibi nihil videtur nisi forma vacua?

5. „At heic tu dic, quaeso: anne palam in isto suo conceptu illa Domus universalis nil sit nisi forma vacua?"

Mehercle tam vacua, quàm est omnis in rerum Naturâ forma. Nam nulla FORMA datur nisi FORMATI. Et geometricum illud schema — tamen est actu TANTUM, cujus? nonnihili: ergo tantum DATI: et cujus DATI? MAGNI: et cujus MAGNI? uniuscujusque vel CONTINUI vel DISCRETI. Quae signatio sui objecti vel continui vel discreti, ideo quia minima sit, an & nihili nulla?

6. „Ergo materiale notionis erit semper NONNIHIL seu aliquid alicujus dati; at formale ipsum illud?"

Digitized by Google

TANTUM? hoc tu-ne putas a mente magicè fictum? hoc empiriae minutissimae factum? in quo definiendo tam invitè agit geometra, ut machinae sit similior quam e machinâ deo: cujus tamen divinitati nunc sua tribuunt ostenta logodaedali.

Et is igitur geometra illud MAGNUM dati non sibi dat: et hoc TANTUM dati en palam is, non in mente liberè mentiri sed in ente necessariò metiri, non a sese cogitare sed ipso actu experiri, conspicitur.

7. „Et quid igitur actu experitur geometra?"

TERMINOS, o bone: terminos tolle, jam quid is determinabit? Hos ille sibi terminos vel in aëre cogitet puro; tamen hos terminos tanti — singularissimè finiendo definit. Id quod est ipsa illa sentiendi RATIO. Hinc apud mathematicos, vel purissimos, nil unquam cernis ac decernis, quod non discernis, palam & datum & ratum, usque ad illud MINIMI certissimum. XCIX, 3. 4. Et hinc valde memorabile hoc: jam antiquitus terminos pro vocabulis dictos κατ' εξοχην fuisse, adeo, ut & graecorum λόγος & hyperboreorum *tal* simul & rationem & orationem, rationem verò TANTI definitissimam, indicent etiamnunc. Quam verè sanctam veri termini rationem

sophi vagè transcendunt, ad summam usque inanitatem. At jam singularissimos TERMINOS actu compertos — quis unquam putavit esse transcendentale quiddam nobis insitum a priori? Hoc tamen si quis putare malit; en illico mathematum idealia singularissima sunt omnium sensuum, et illa mathematica RATIO est ipsa ratio SENTIENDI.

§. CXI.

Redimus ad conceptuum formas: quas rerum divinas terminationes esse, patet. Est enim evidenter nulla FORMA nisi FORMATI: nullum vocamen nisi vocati, nullum signum nisi signati, nulla species nisi spectati et spectatum nihil nisi speciminis: quid igitur? est nulla IDEA nisi REI, quantumvis idea saepe sit minimum quid, et res maximum. VI. LXXXIX. CX, 4.

2. Inde categorias nobis actu construimus in DATO: ideale in reali: universale in singulari: seu, formas in formato, species in spectato, vocamina in vocato: et omnia demum in suo vero sensu. Nec A PRIORI quidquam est nisi A DATO et dati, dato quantumlibet minimo, usque ad identismum synonymiae ac demum voces mente cassas.

Digitized by Google

Ideoque: conceptus sine intuitione, seu notio sine constructione, nil erit nisi intellectum quid sine intellectu: id est, vocabulum sine sensu. XCIX, 7.

3. „Et summum illud transcendentale igitur?“

MINIMUM signati: minimum vocati: minimum formae — physicè seu divinitus verae. Esto forma illa vel extimè visilis vel intimè tactilis. V. Hinc transcendentaliter sapere, nil est aliud quàm per minima sapere: atque humanae fatuitatis, & theoreticae & practicae, erit ultima linea haec:

ITA — OPORTET,

etsi vel id tamen ipsum est

NONNIHIL.

4. Minùs autem transcendens conceptus en fit sensim & realior & distinctior, usque ad mathematicum illud maximi MINIMUM seu actu certissimum: a quo demum realiter ascenditur ad minimi MAXIMUM seu rationem harmonicam totius.

At illa ratio est INTIMI: dum econtra idealis ascensus fiat ad extimi SUMMUM seu entis ens. LXXXIX, 4-7. XC.

5. Et quid est igitur omnis omnino IDEA seu FORMA? ipsa res ideata, ipsa res formata: in hoc aspectu, seu, EATENUS visa.

Digitized by Google

EATENUS tamen illud o saepe quàm PARUM. Parum autem videre quàm sit facillimum, vidimus in omni abstractione. LXXXVI. Adeo, ut A PRIORI absolutè transcendens omne actu demum sit notionis minimum possibile, ad NONNIHIL usque: nimirum, illico TOTIUS idea obscura et confusa, at ruditer sublimis, umbraticè vaga, tenuiter pura, extimè summa: tum verò ipsa identitas ipsius DATI, per sui conceptûs majus et minus: tandem varietas levior illa SYNONYMIAE. Jam, quid est hoc summè transcendens? palam sane: nil nisi MINIMUM possibile et ipsum INITIUM sensionis. LXXXIX. XC. XCI.

6. Hinc videt INFANTIA nil nisi universaliter. Hinc veritatem nativam transcendit impetu rudi vaga mens PUERITIAE, ac vividè admiratur illudia cuncta sophipoëtipolitica, usque ad vehementiam istam barbarè sublimem: quia SUMMUM summè concitat usque. LXXVI. LXXXI, 6. XCIII. XCVII. CI, 3. Hinc demum ad METAPHYSICAM etiam doctus quisque semper est eò aptior, quò magis PHYSICAM ignorat: et in ipsâ Naturâ imus en semper vagatur trans Naturam primus. Id quod palam vides in omni SUPERSTITIONUM somnio: ubi semper, quò quis est rudior et amentior,

Digitized by Google

eò absolutiòr ac transcendentior. XVIII. XXIV. LXIII. LXXXVI-VII. CI, 2, 3.

7. Et vel puer igitur, quàm parum ens quoddam norit, tamen illico essendi essentiam et entis entitatem: itidemque quàm parùm actionem ullam norit, tamen activitatem aliquam illius actionis: quàm parum certam ubique rationem, tamen rationalitatem aliquam rationum, et quam parum quid sit faciendum, tamen aliquid esse FACIENDUM seu dari Officium: quàm parum hominem norit, attamen humanitatem aliquam: quàm parum librum, quem legit, Plinii vel Newtoni, tamen libritatem seu speciem, ideam, formam LIBRI transcendentalem.

Quae sublimior IDEA, si forte aliqua suâ vagâ vi divinior appareat, tum quomodò & IDOS fiat & IDOLON, vidimus. XCIV. XCVI.

8. Sunt autem ea, quò altiora, eò inaniora. Non tamen cassae voces: sed signationes rerum subitò vagae ac rudes: in compendium PUERIS, non in systema VIRIS.

Et viris tamen saepe summis ó quoties a Platone inde contigit, vagè summa unicè mirando, nil demum nisi infantilia et infanda fari. LXXIX. XCVII. Nam inde nobis illa axiomata cuncta velut somniata: inde regulae nil regulant, ac theoriae delirant. XVIII. LXIII-V. LXXXV, 7. 9.

Digitized by Google

9. Sicubi verò tu quidquam, theoreticè vel practicè, IN essendo vel AD essendum, TANTUM esse actu definias; en id erit illico non mentale, sed entale; non vagè datum, sed certò ratum; non summè transcendens sed intimè determinatum HOC, velut centrum & Naturae & Certitudinis. CI, 4.

§. CXII.

„Ac mens demum cognitioni quam dabit formam?"

A sese nullam Formam, nisi vel informem vel deformem: nisi vel sophicè vagam, vel poëticè variam: metaphysicam vel paraphysicam, unde mox antiphysicè error omnis ac terror. LXXXIV. XCVII. LII, 5. Ita Naturam superat mens; at umbraticis illudiis; at superstitionum somnio miro, diro. VIII. XVI. LXXXVIII, 4.

2. Nec enim sapimus unquam per SUPERIUS; sed per INTERIUS. Econtra verò nunquam illudimur — nisi per SUPERIUS omne similitudinis universae, videlicet, speciei, analogiae, auctoritatis. LXXV-VI. At illud tamen SUPERIUS, illud signationis vagè datum, illud sensionis MINUS ideoque & levius & facilius, velut ipsa nativa regio est MENTIS seu phantasiae sublimioris.

3. Et hinc mentis summum illud ubique SIMILANS non magis mentale videtur

Digitized by Google

quàm m e n d a x. LXXV-VI. Est id quidem τι τȣ, alicujus aliquid: at quantum? sat pol, ad i d e a m, ad illusionem, ad ecstasin, LXXXVI: sat, ad o p i n i o n e m illico inde abstrahendam credulo; sat, ad s o m n i u m, non ad vigiliam: sat igitur omni f a t u o et amenti. LXXIX.

4. Jam autem, non infantes, non pueros, sed VIROS, sed sophos, ac velut aeternò, unicè illud ludere τι τȣ: id ipsam tu voca transcendentiam humanae fatuitatis. At hi, quia & s u r s u m inania verè sublimiora videntur, usque ad purissimum caeleste — & d e o r s u m inania verè profundiora videntur, usque ad imas umbras abyssi; en cur u t r i n q u e tendant in altius altiusque τι τȣ, donec nil nisi oracula divini cujusque divinent ORIS, omnino sine sensu. Videlicet ut sciamus demum, horum vocabularem animam ab ανεμος verè fuisse v o c a t a m. XC.

5. Nam sicubi τι τȣ non arrogans p o n i s, sed rogans quaeris: τι τȣ? q u i d c u j u s? tum illico tu ad realem certitudinem: ad SENSUM vocabuli, ad MODUM regulae: ergo ad ipsius Naturae DEFINITIONEM, accedis. Ita verò, neque vagè intueris, sed jam certò c o n c i p i s; neque inaniter con-cipis, sed jam realiter c o n s t r u i s — nempe tale actu tantum, datum actu ratum, et mentale

Digitized by Google

illud jam entale HOC. V, VII, XLIX, 5. CX, 4. CXI, 2. In qua reali definitionum definitione, seu sensionis TANTO, saepe modicùm scire licet, sed errare nunquam. XIII, XXXIII, CVI, CVIII.

6. „At modicùm, modicùm illud — me tangit et angit, sicubi transcendentiam hanc omnium altitudinum, liberrimè quidem vagam, sed in suâ vagâ totitate mihi absolutam, suspisere audeo.“

Tamen suspicis non suspicando quàm sint inania ista vagè visa TOTIUS extimè summi: etsi pol sunt haec vagè visa ideo absoluta, quia soluta ex stasi Naturae, per abstractionis ecstasin. Ergo, in omni theoriâ illud ITA et in omni praxi OPORTET, conjunctim ITA OPORTET, tibi non inanissimum videtur, ideo quia summum? Quin econtra: quidquid est summum, id necessariò erit inanissimum seu MINIMUM possibile notionis. CXI, 5.

Et hanc transcendentalem fatuitatem ut vivè intuearis; en compara TOTIUS ejusdem — extimè summum et intimè maximum, id est, inanem ideam et actualem intus harmoniae rationem, seu simplicissimi Datum et compositissimi Ratum, ejusdem igitur TOTIUS — omne vagum et omne certum. Compara carolitudinem cum

CAROLO: libritatem cum LIBRO, Plinii vel Newtoni: et ubique speciem cum SPECIMINE.

7. Tum recogita prisci aevi mentalitatem omnem ac transcendentiam illam barbarè sublimem: THEOGONIAS, COSMOGONIAS, PANDAEMONIAS, MANTIAS, MANIAS. XXIV. LXXVII-VIII. XCIII. LII, 5. Recogita zoroastricos mundos: pythagoriplatonicas logodaedalias: immanes cabbalas: gnosticas aeonum syzygias: monachomysticas autodoxias, et AUTONOMIAS trifanaticas omnes, vel antiquiores & extensè Stoicismi & intensè Heroismi, vel recentiores & extensè Donquixotismi & intensè Ravaillacismi. LXXII, 6. CI, 2. 3. CII, 7. CIII, 7.

8. Jam illic tu quid vides? nil nisi species transcendenter vagas, ac subinde poëticè vivas: inter quas tamen nec minima vagatur umbra, quae non sit sensilis, donec vanescat.

Donec vanescat ipsum demum ipsius ecstaseos vage visum τι τȣ. Nam hoc est illud in ipsâ mentalitate mentalissimum, ubi jam altissimè uniuntur Omnitudo et Nihil. XCI. Inde GNOSTICIS, seu κατ' ἐξοχὴν notionariis, transcendentale schema Universi hoc memoratur: Ecclesia, Homo, Vita,

Digitized by Google

Verbum, Mens, Veritas, Silentium, BYTHOS seu ipsa Profunditas. Quasi nunc diceretur: Secta, Fatuus, Vanitas, Vocabulum, Species, Ecstasis, Aliquid, NIHIL seu ipsa Transcendentalitas verè summa. LXXXI, 4.

9. Id igitur cautè attendas, ubi sensim vanescant vocabula. En enim tibi hanc idealem seu vocabularem sublimitatem — reali orationis sublimitati adeo contrariam, ut Idealista sublimior semper emineat maximi vocabuli minimo sensu; sed Realista sublimior econtra semper emineat minimi vócabuli maximo sensu. CXI, 4. CXII, 4.

§. CXIII.

Quid ergo? luditur τι τȣ in isto universali CIRCO sophorum: luditur, cum sollenni pompâ specierum umbraticarum cumque vocabulorum concavitate sonantissimâ.

Nam actu nobis illa omnium abstractionum abstractio, TOTITAS, quid? ratio partium una. Ultra hanc rationem partium unam — nil nisi vocabuli luditur τι τȣ subitò vagum. At quaere igitur, quaere τι τȣ? quid cujus? et redit en illico — suum partibus totum: rei sua varia idea: formato sua forma: hoc est, redit ENTI sua entitas quaevis et MAXIMO minimum omne sui. CXI, 2.

2. „Idea verò, seu sensio rem illico signans, si actu minimum est, jam ecquid erit medium et maximum nostrae Cognitionis?"

MINIMUM illud, seu idea, est omnino tamen aliquid EXPERTUM: MEDIUM est EXPERIMENTUM: MAXIMUM est EXPERIENTIA, seu experimenti perpetuitas. LXVII. CV. CVII.

Nam quidquid in ideâ, in vocabuli solâ indicatione, in minimo experto, videtur probabile: id experimento probatum fit; et experientiâ probum. LXVII.

3. Unde quantumvis Peritissimus quisque solâ signatione IDEAE, solâ vocabuli notione, illico sapere videtur; is tamen actu non sapit nisi MAXIMO experientiae. Sed ei ad omnia reminiscendum vel minima idea minimi signi sat est.

Econtra verò, ex ideâ solâ, seu, ex ideali vocabulo vocati, qui sapiunt; ii nonnisi a suâ mente sublimiter somniant; dum TALE quid ubique noscunt, sed nunquam HOC. XIV. XV. XVI. XLIX.

4. Est igitur universa idearum theoria palam eadem ac SIGNORUM; quibus illuditur facillimè quisquè, sed quibus non sapit nisi experientissimus. CVIII, 3. CIX, 2.

5. „Ac tamen sine IDEIS nihil scitur."

Cur autem? quia sine apparentiâ nihil apparet: sine specie nihil spicitur: sine suo MINIMO nihil noscitur vel medium vel maximum. LXXVI.

6. „At idea ipsius INDIVIDUI?"

Tamen est idea: vivae cognitionis minimum, e. g. Caroli CAROLITUDO: simul & illucens & illudens, ni ad qualecunque istud expertum accedat experimentum et experimenti perpetuitas, experientia.

Nam ipsa illa Caroli CAROLITUDO in actu variatur facillimè; inde fit illico & mentalis & mendax, ac nil demum nisi τι τȣ amentiae. CXII, 3.

7. Quid ergo? EX IDEA SAPERE — semper est per MINIMUM sapere: et libera synthesis idearum, libera mentis coagitatio illa seu cogitatio, semper erit illud vigil somnium, quo creditur, luditur, furitur omnis amentia. XCIX, 8. CXII, 7, 8. Nec amentia ulla, quantumlibet vel sophicè sublimis vel poëticè splendida vel politicè sacra, ideo minùs erit eadem a mente amentia. XCVII.

Ac palam demum: ULTRA SENSUM — quid actu datur aliud, quam illud: amenter a mente mentiri? id est, ultra FACTUM quid nisi FICTUM? LVI, 7. LVII, 6.

8. „Mirum sanè id etiam videtur mihi:

Digitized by Google

a MENTE, & esse revera, & dici verbotenus, MENTIRI."

Cur verò? est illa mens κατ᾽ ἐξοχην nil nisi sublimitas vagae Phantasiae: vulgò, universa Phantasia: & somniorum archimaga & somniorum speculatrix. VIII. XVI. XCVI, 5, 7. CIII, 5, 9. CXII, 7, 8.

9. Tamen & ipsa illa mens Phantasiae divinitus est vera: TANTUM actuale sicubi definias. VII. VIII. XIII. XV. At verò tum illico vanescit MENTALE omne ac fit ENTALE in mathesi rationis divinae. LVII, 6. CXI, 9. Adeo, ut mentale nihil sit, nisi eatenus, quatenus ultra Veri actuale TANTUM vagatur, id est, nisi quatenus actu mendax. CXII, 3.

„Ergo, non aliter quàm credentium ista ratio irrita et fides infida, etiam heic dici poterit: esse omne mentale mendax?" LIII, 3, 4. LVI.

Omnino palam. Sunt enim indefinitum, ac transcendens: non ratum, et irritum: non probatum, et improbum: credulum, et infidum: a mente, et amens: mentale, et mendax: verè synonyma. CIII, 5, 7. Cur verò? quia ubique VAGUM est VANUM. Nec nisi unum datur Veri archimetron: dati TANTUM. Atque datum est nihil, sine dati specimine, sine actuali objecto: ni tu vocabulum, sine vocato, vagè vanum jactas. CXI, 2.

Digitized by Google

§. CXIV.

Hinc demum vocabuli quaerimus ideam; sed & illico ideae quaerimus actualem sensum seu specimen dati. CVI. CVIII. Quod nisi fiat; jam per vocabula philosophari saepe sine ideis, vel per ideas philosophari saepe sine sensu, hoc est, in umbris rerum sublimiter vagari; id palam ideo, quia levissimum, erit facillimum. CXII, 7, 8, 9.

Itaque tibi tu vocabuli cujusque semper defini actuale TANTUM; aut errabis usque. VIII. XIV. CIII, 7.

2. Nam est mentis tota vis: INDEFINITUM seu VAGUM. Et est rationis tota vis: DEFINITUM seu CERTUM.

Unde Mens, seu idealis vagatio per indefinita quaevis, ipsa est anima erroris, ipsa anima phantasiae: et Ratio, seu realis determinatio, ipsa est VERI mathesis.

3. Nec in ullius ideae vel inanissimâ umbrâ; in ipsâ mentis amentiâ: in quolibetcunque vel summi vocabuli vel imi somnii lusu: quidquam EST, quod non sit ENS, quod non sit verum, ac divinitus verum, sicubi determinetur, id QUANTUM sit et actu TANTUM esse. V. VII. XIII. XXXIII. XLIX.

4. Indefinitè ac vagè nil econtra fiet Universum humanae cognitionis nisi mentes omnium, inaniter sublime: impostura

Digitized by Google

umbraticè transcendens: amentia demum superstitionum omnium altè fatua, altè fanatica. Summum enim summè concitat usque. CIII, 7. CXII, 7, 8.

5. En igitur in verâ definitione, in reali existentiâ, in actuali TANTO illam RATIONEM divinam seu archimetriam. Et quia haec divina ratio TANTI non attenditur, en item illud mirabile, cur nec SOPHUS nec POËTA nec POLITICUS unquam ullus, qua talis et quantumlibet sublimis, REM ullam verè cognoscat: sed est divinitus poena illusoribus ipsa ILLUSIO.

§. CXV.

„Ergo jam nil tota erit humana cognoscendi Facultas, nisi sensio ipsa in suâ ratione TANTI?"

Nil erit aliud vel cogitabilis ulla cognoscendi Facultas. Nam tolle sensum; tollis intellectum; tollis & animam animae & te tibi. Quin sine sensu ipsa mens omniscia Dei nil erit nisi SPECULUM Universi, non Universi NUMEN. CVIII, 2, 4.

2. SENSUS igitur — est actus ille a priori divinus: ille deus in nobis.

Et ipsum Veri criterium erit actuale TANTUM dati, seu tantum objecti. XIII. XXXIII. XLIX. Unde illa sensionis RATIO: illa mathesis actualium divina. XI. XII.

XLVII. L. Cujus principium summum populariter quidem enunciavi: FAC TUTISSIMUM, LXX. etc. sed archimetricè hoc erit: VIDE QUANTUM?

„Vide quantum?“.

Vide QUANTUM? in quocunque respectu, et quousque licet. Id quod nos nunc agimus in ipsâ cognoscendi Facultate. Et heic igitur tu vide quantum?

3. Sensionis tota vis DECRESCIT, velut a vivo sui centro: decrescit, in MEMORIA, ubi nil remanet praeter ideas: usque ad vagam PHANTASIAM, ubi nec ideae fidae sunt, sed variè excitatae variè illudunt.

Iam verò quia nomen esse debet novimen, ideo nobis actualis perceptio — sensus vocatus fuit: memoria — resensus: phantasia — vesensus. Nimirum, quia NOTIO datur per sensum viva; per memoriam rediviva, sed fida: per phantasiam demum, etsi non alia, tamen aliter, quàm in sensu et memoriâ. LVII.

4. Atque SENSU seu perceptione intelligimus: RESENSU memoriae cogitamus: VESENSU phantasiae somniamus, etiamsi vigiles. Somniamus enim verissimè: sicubi aliter quid nobis obversatur quàm in sensu, ex idearum abysso vagè excitatum. Et est Phantasia tota ipsum illud ALITER

Digitized by Google

quàm in sensu: mendacium oriatur inde quantumlibet sublime, splendidum, sacrum. XCVII.

5. Ubi verò notandum: & resensu memoriae, & vesensu phantasiae, quidvis cogitari: unde omnium vocum ineptissima vox, in totâ Philosophiâ, est illa COGITANDI. Nam & amentissimum quidvis — cogitatur: ac saepe ingenio verè summo.

Ergo: per ideas seu minimas rerum signationes et formas plùs minùs vivè redivivas: nobis IMAGINANDI vis est UNA. Hac nihil non coagitatur seu cogitatur vagè varium, ex memoriae abysso: XCIX, 8. Tamen imaginando coagitare seu COGITARE dicimur, non tam vagè varia, quàm κατ' εξοχην ad certum DATUM certò RELATA.

Haec imaginans quisque ita ac in sensu — nil nisi reminiscitur: si aliter ac in sensu — eminiscitur, dum vel fingit arte, vel furit vi: vi, etsi vel somnii solitâ, vel abstractionum insolitâ, ad omnem usque fanaticam ecstasin. LVII. CXII, 7. Et hoc omne, quia per idearum illudia nonnisi videtur; ideo propriè Visionis seu PHANTASIAE dicitur lusus. In quo & thesis abstractionum & synthesis compositionum pura puta sunt mendacia mentis, at mox vividiora & per ingenii similia & per

Digitized by Google

somnii simulacra. His enim suis gradibus: mente, ingenio, somnio: intenditur PHANTASIA. Unde nec somniatum nec ingeniosum nec mentale dicitur id, quod imaginamur planè ITA AC IN SENSU: nam id econtra dicitur observatum, omnino quidem novum, sed evidens. XCVI, 5. 7. CVI, 4. 6. CVII.

6. Eadem autem illa Sensionis vis, ita decrescens in memoriâ et phantasiâ, etiam INCRESCIT: dum vel persentis, attendens quid sit: vel consentis, judicans ita esse, quia harmonum sibi; vel assentis, volens idem, quia harmonum tibi. Increscit igitur sensus — persensione, consensione, assensione: in attendendo, judicando, volendo.

7. Palam enim nos Natura vel excitat ad attendendum: vel incitat ad judicandum: vel concitat ad volendum. Intensitatis gradu minimo medio maximo.

§. CXVI.

Ergo nunquam libertate nostrâ, sed necessitate Naturae, sapimus; nec in ideali ecstasi, sed in reali stasi.

„Libertas hercle nulla in reali systemate cogitari poterit.“

Ne minima quidem. Est enim LIBERTAS idealis illa vulgò somniata, quousque

vigiles videmus, aliud nil quàm IGNORATIO causae, quin etiam doctis aliud nil, quàm doctae Fatuitatis ipsa abyssus illa, in qua NIHIL speculantur tamquam OMNE. XCI.

2. Actu autem ipso, en dic tu: librani an liberam judicas? ideo quia neutrò inclinat, sed inclinari utròque possit. Certe speculator ille ruditer sublimis, qui automaton illud extimè summum credit liberum, etiam libram crederet verè deliberare: si sibi sophicum ejus constaret somnium.

At hoc sublime somnium, quod ne continuitatem quidem servat suarum visionum, sed NIHILI crebro chasmate interrumpitur, XLIX, 3. XCI; id quomodo legem divinam proportionum et aequilibrii discerneret aut rationis mathesin servaret ullam?

3. Itaque a LIBET, non a librâ, oritur LIBERTAS. Nam in reali ac divino hoc Universo cuncta libravit ille Deus: numero, pondere, mensurâ: id est, proportionum harmonicâ necessitate. Illic igitur quid esse poterit liberum? Nec Sapiens quidquam vult, quia libet; sed quia MOMENTIS divinae rationis motus non potest non velle. Vult igitur, non libertate suâ, sed necessitate Naturae.

Digitized by Google

4. Stultus econtra videtur liberrimus: quia, per saltum cogitans, per saltum vult, et per saltum agit.

Hinc etiam nil videtur liberius quàm Phantasia, qua cuncta somniantur vagè varia: et liberius videtur nil quàm illa Phantasiae mens, qua in omnem subitò amentiam en mortales ruunt. LXXXVI-VII. Quin videtur ubique liberrimum, quidquid cogitando luditur et furitur.

5. At verò cogitare, non amenter, sed cum ratione: bene cogitare, sicut in mathesi cujuscunque artis verae: bene cogitare — en evidentissimae est NECESSITATIS. Aut pol: quem tu mathematicum, sanctissimè computantem, putas liberum?

„Tamen nec is videtur coactus?"

Videtur, videtur liberrimus. Cur verò? quia omnia videntur liberrima: donec intus videas necessitatem: intus necessitatem rationis, seu harmoniam divinam. Inde libertas universim erat ipsa ignoratio causae: ipsa fatuitatis fatuitas, qualis in prisco illo omnium activitatum daemonismo. LXXVII, 4. LXXVIII, 3.

Videtur igitur mathematicus, sanctissimè computando, liberrimus; sed actu nil nisi necessitatem rationis divinae sibi

Digitized by Google

notat. Et libertas ejus demum quid? evidentia TANTI: sicut ratio ejus quaenam? Naturae ac Numinis, id est, ubique ratio TOTIUS. CI, 4. CXI, 4.

6. Est autem NECESSITAS? ipsum entis ESSE. Est etiam VERITAS? ipsum entis ESSE. Quid igitur? necessitate constat veritas: et veritate constat necessitas: utraque constat ESSENDO actuali. V. VII.

Ignorantia tamen, aeque necessariò, sua somniat nihili chasmata: et innocenter somniat: ni sophicè demum superba, LIBERTATIS vocem fatuam, velut sui nihili vivam vim, in summum Numen, certe in summum sibi NUTUM, & theoreticè & practicè, evehat. XCI. CIII, 4. CIV, 5.

7. Inde verò, sicuti mentale et amens, ita jam liberum et amens, facta sunt synonyma. CXIII, 9. Nam quatenus mente liberâ, nil nisi vago impetu fit. Et hoc unicè attende: mente liberâ esse nil nisi vago impetu. Vis enim divina TANTI nec mentis est, nec libertatis, nec vel minimum vago libitu fieri sinit; sed hoc minimum etiam exigit ad MODUM recti, ad MODUM definitissimum seu maximi rigoris. Adeo ut Mentale demum illud nil sit nisi vagum et enorme: ac Liberum nil nisi libitum, exlex, immane, ferinum. Palam

Digitized by Google

certe, ratum et rationale omne mathematicâ suâ sibi constat & evidentiâ & necessitate; sed quidquid liberum esse dicitur, en id aliter aliterque luditur ac furitur usque.

§. CXVII.

Ergo LIBERTATIS nulla unquam esse poterit aut humana scientia aut divina RATIO.

Dic enim, vel theoreticè, TANTUM est; vel practicè, TANTUM esto. Id nil curat libertas; aut si curat, en illico evanuit. Nam quid est liberum in mathesi TANTI, MAXIMI, TOTIUS? Unde patet, libertatem esse nullam nisi vagè irritam et ſtultam: sicuti nec humana scientia nec divina ratio datur ulla nisi TANTI. XI. XII. XXXIII-IV. XLIX. L.

2. „Etiam heic mihi videor victus. Sed quid jam nobis erit illa, quam & sapientissimi mortalium in caelum extulerunt & cui nullo non aevo viri verè optimi sese devoverunt, illa reipublicae LIBERTAS?“

Ea libertas fuit opposita, non divinae necessitati, sed ipsissimae libentiae seu licentiae. Nam licentia seu LIBITUM, vel unius vel plurium vel omnium, tamen idem est libitum et eadem licentia ejusdem TYRANNIDIS. Utcunque liberè furitur; tamen — stat pro ratione VOLUNTAS. XLIV, 3.

Digitized by Google

3. Hinc, quàm a mente amens, non a ratione ratum, sit nomen istud LIBERTATIS, vides. Ut enim liber sis verbotenus, en illico cessabit rerum omnium & vis & necessitas & divina ratio & totius harmonia & ipsa TANTI mathesis; at verò, ut liber sis revera, nil nil esse debet liberum, sed OMNE OMNE lege rigidâ sancitum et sanctum, usque ad TUTISSIMI securitatem. LXX. etc. LXXII, 7. CXV, 2.

Libertatis igitur optimo significatu ipsum illud Libertati maximè contrarium indicatur, nempe, ipsa Necessitas harmoniae divina: qua constituitur SALUS omnium omnis. XXII. XLIV.

§. CXVIII.

„Jam ab hoc vesensu phantasiae iterum, per memoriae resensum, venio ad illum tibi divinum sensum. Is igitur SENSUS quanam physicâ necessitate & attendat & judicet & velit, nondum sat video.“ CXV, 6. 7.

Id illico videre poteris. Nam ipso Visu & cernis & discernis & decernis: actu sentiendo palam uno: etsi per hos gradus minimi medii maximi.

Itidem quolibet sensu — & probas & comprobas & approbas. Latet enim in omnium facultatum isto mysterio magno

Digitized by Google

aliud nil quàm:

tale — hoc — placet:

quod cuinam sensui non illico scitur? tale, attentionis: hoc, judicii: placet, voluntatis.

2. Et quia SENSIO nulla datur sine MOTU; ideo cum sensu increscit motus, ad omnem usque voluntatis & affectum & impetum. Est enim sensus? affectionis minimum: affectus? sensionis maximum. CIX, 3.

3. „In decernendo tamen et approbando seu in ipso ASSENSU — multò magis imperare videtur judicii notio, quàm voluntatis motio?“

Non multò magis: at verò lucens et ardens ea dicitur notio, qua concitatur intus volendi motio. XCI, 8.

Nam facillimè fit praepotentior Idea. A praepotenti ideâ imperatur Judicium: hoc nempe, ITA ESSE. A praepotenti judicio imperatur Voluntas: & in VERO & in BONO. Quamvis autem, non tam in motione, quàm in movendo, voluntatis actio emineat; en tamen & agitur agens, a vivo objecto vivi judicii. Et judicium esse vivae ideae: ideam esse vivae Naturae: Naturam esse vivi Numinis: id vidimus. V. VI. IX. LXXXIX, 7. CIX. CX, 2. Ita demum agimur ideali praesentiâ RERUM. In quo actu — vel minima ideae notio, saepe subitò vividior, fit maxima volendi motio.

Digitized by Google

4. Universim igitur in COGNOSCENDO, minimum est, ideam excitari: majus verò, vi hujus ideae incitari ad judicium certum, ita esse: maximum, hoc judicio concitari adeo intus vivè, ut ita esse velis, velis, etiam in VERIS ob harmoniam TOTIUS. Hinc decernendi, approbandi, assentiendi, seu VOLENDI, actu illo maximo intus aitur: non, ita EST, sed ita ESTO, et, cum ratione, non TANTUM est, sed tantum ESTO: XII. Non modò sentitur, et consentitur, sed assentitur: ac si nutus annueret noster illud numinis FIAT!

5. Jam verò, quia cognoscendi MAXIMUM est, velle; en demum cur Voluntas, & Cartesio summè judicatrix, & cuique rationalis, videatur. En cur illud cognoscendi MAXIMUM adeo κατ' ἐξοχην VOLUNTATIS esse videatur visionariis, ut ultimum hoc esse putent primum — et gradus illos cognoscendi praeclaros, & JUDICIUM & IDEAM, unà cum SENSU, NATURA, NUMINE, illico non videant. Eâdem enim ii amenti abstractione nec ipsum cognoscendi MINIMUM, ideam, sibi somniant nisi velut summam a priori speciem: id quod eam actu esse vidimus, non autem intimè summam in mente, sed extimè summam in ente. CXI, 3-6.

Digitized by Google

6. Quid igitur? sicut nihil videt VISUS nisi palam in OBJECTO; ita nihil vult voluntas nisi DATUM. Quod ipsum datum, si VAGUM, en illico VANUM. CVI. CXIII, 9. Hinc MATHEMATICO, sicut vel Judici vel Deo, nulla est voluntas alia quàm TANTI et MAXIMI, quàm ubique RATIONIS: et hanc tamen & rationem & rationum rationem in infinitum ille mathematicus en ideali colit enthusiasmo, ob harmoniam TOTIUS. In quo ideali enthusiasmo transcendentissima vivit voluntas vivae assensionis: etsi pol esse possit enthusiasmus vel VERI vel ERRORIS.

7. Si autem a divinâ RATIONE omni, si a JUDICIO & TANTI & TOTIUS — abstrahis voluntatem; ecquid haec illico fiet voluntas? nil nisi vagus impetus, impetus vel aeterni Fati vel subiti Furoris. Quantumvis hic impetus liberrimus videatur amenti: sicut ubique fortunae FORS liberrima videtur stupido vulgo.

Ergo, quia omnis omnino RATIO est divinae necessitatis; nonne palam igitur voluntas purè libera nil erit, nisi vaga FORS, nisi vis varia fati et furoris?

8. Et hinc etiam tuâ lege tu vivis amentissimè: ni totius ubique harmoniae legem

Digitized by Google

facias tuam. Id est: tuo NUTU vivis amentissimè, ni ubique assentias NUMINI. L, 4. LXIII. LXV, 4. 5. LXX. CII. CIII. Non enim, nisi panharmonicâ RATIONE OPTIMI et MAXIMI, Deus Optimus Maximus colitur optimè et maximè.

Quin palam omnis intus nostra & notio & motio quatenus libera videtur, eatenus tu cave ne, per LIBITUM, amens verè sit. Nulla enim rationalis electio rati TANTI magis esse potest libera, quàm Libra: nec ea fit electio aliter deliberando, quàm librando. Unde in verâ electione omnia TANTI aestimamus: ad justum omnia exigimus MODUM: non putando, sed computando: nec vagè tum cogitamus, sed attente perpendimus. XXII, 2.

„Ita verò jam Voluntas a Judicio nil differt?"

Non aliter quàm discernere et decernere differunt: non aliter quàm cognoscendi medium a maximo. Nam in BONIS quidem vividiùs vulgò decernitur: dum salus agitur evidentior decernentis. Sed palam tamen in VERIS o quo non decernitur enthusiasmo? LXIII, 8. CXII, 7. Adeo, ut OPINIONUM inanium fere sit horrendus hic et velut universalis Furor. Cur autem?

Digitized by Google

nam & amentissimus videt, sine VERO sibi constare nihil, sed illico ruere omnia.

9. „At hercle tamen attendimus, attendimus liberè?"

Quanta sit attentionis libertas, ubi vis altior cogit, ipse vide. Divinitus autem ac necessariò — vis altior cogit. Quam si tollis; en tu nobis & Naturam tollis & Numen. Nec enim, quia saepe intimè lateat, ideo minùs vis altior cogit. Et CONTINUITATEM potentiae ad id quod fieri potest — si non cogitas; jam possibilia neutiquam cogitas, sed vagè somnias illabens in crebra NIHILI chasmata.

Ac palam tamen elucet arcanum illud unicè divinum educationis publicae: SENSIO FORTIOR. Qua omnia fiunt humanitatis miracula.

§. CXIX.

„Jam, si nihil fit sine vi, sine motu; nulla sane cogitari poterit unquam cognoscendi facultas alia, quàm haec divinitus mota SENSIO, minima, media, maxima."

Ecquid enim cogitatur sine vi, sine motu, nisi purum putum NIHIL? Libertas igitur necessariò, si quid agit, erit — Vis actu superior, et Voluntas erit — Motus actu superior: quantumlibet saepe ignotior intus. XCI, 8. 9. Id quod ita experimur vivè,

Digitized by Google

ut nunquam liberi simus contra vim altiorem, et nunquam liberi nisi vi praesenti altioris ideae: nec id quod volumus, possumus non velle, sed volumus MAXIMI necessitate, MAXIMI quantumlibet irriti.

2. Mens item actu quid? palam phantasia sublimior, mirè vaga: fictionum ipsa inchoatio, umbraticè designata. Et IDEA? palam, quantilla signatio, tamen signati: quantilla FORMA, tamen FORMATI. CX, 5. CXI, 2. 3. 5.

3. Animam autem in SENSIONE quia unicè vivam ac veram experimur; an ideo ens & interius & intimum, ens & superius & summum, sibi minus constabit? quin econtra, hoc solo modo, non inani vocabulo τι τȣ luditur, sed ens illud nobis actu datur.

4. Quid igitur? Absolutum datur nil, nisi dati datum. Et a SENSIONE — omne datum datur: adeo ut ipsa RATIO sit evidentia TANTI, in dato jam rato. Decrescit autem sensio, a sui centro, extensivè: unde intelligimus quidem vivo sensu: sed cogitamus memoriae resensu: et vagè somniamus phantasiae vesensu. Increscit item, intensivè: unde attendimus persensu: judicamus consensu: volumus assensu. CXV, 3. 4. 6. 7. Ubique, sicut verâ vi, ita vero motu. CXVIII, 3.

Digitized by Google

5. SENSUS itaque unicè divinus ille — vim facultatum omnium unam continet: sicuti summi Numinis admiramur denominationem infinitè variam, sed potentiam unam. Nec in rerum Naturâ SENSICULUS vel minimus poterit cogitári, qui non illico & intelligat & judicet & velit. V. VI. L. XCII. XCVIII.

6. Is enim idem SENSUS, nunquam sine vi et nunquam sine motu, dum sentiendo noscit, intellectus vocatur: dum ita esse consentit, judicium: dum vivè assentit, voluntas, aut si contrà, noluntas, vario affectu: et is idem sensus, dum objecti dati nonnisi aliquam signationem retinet, idea dicitur: quae idea, intus latens vi memoriae, excitatur denuo vi reminiscentiae: sed excitatio haec, et RELATORUM κατ᾽ ἐξοχην, si fit itidem ac in sensu, cogitatio vocatur, at si fit aliter quàm in sensu, phantasia, cujus mente, ingenio, somnio, luditur omnis error. CXV, 5. RATIO autem est objectorum: quam rationem, rationumque rationem, SENSUS indagat experiundo, ad omnem usque actualium mathesin divinam seu panharmoniam. XI. XII. L. LXIII. LXX, CXIII, 2.

7. At maximè heic notandum: nos a nobis nec VERUM nec BONUM quidquam

Digitized by Google

eminisci, sed reminisci: et esse artem nostram omnem — aut divinam actualium mathesin, aut humanam a mente amentiam. CI, 5. 6. CII, 3. Ideoque COGITAMUS, divinitus ac realiter, certò relata FACTI; sed SOMNIAMUS, humanitus ac idealiter, vagè varia FICTI. CXV, 5. Id quod tamen in Gallorum: SONGER: non magis distinguitur, quàm in omnium gentium altiori Doctrinâ omni. CXII, 7. 8.

8. „Hinc verò mihi nunc mirari subit; Phantasiae, etsi decrescendo minimae, vim tamen videri maximam.“

Bene hoc: videri maximam: at nonnisi videri. Nam hercle, quantumvis per phantasiam & luditur & furitur usque; tamen per vivam perceptionem et redivivam intus memoriam, non per vagè vanam phantasiam istam, verè MAXIMUM agitur. Sensu vivimus et resensu: non somniorum isto mentali vesensu. Ergo, mirè & crebra & magna est vis Phantasiae; at nec creberrima tamen, nec maxima.

9. Nisi tu doctoralem nunc unicè videas omnium visionum CIRCUM, ubi verissimè sola dominatur archimaga PHANTASIA: cui ex mille milliesque mille abstractionum umbris illico vivae fiunt ESSENTIAE, paullo subtiliùs, attamen ritu prisci DAEMONISMI:

Digitized by Google

quin ubi nil nisi varia luditur sciamachia titanicae & superstitionis & superbiae, non sine corybantico furore isto barbarè sublimi. LXXVIII. LXXXVII. CI, 2. 3. 7. CXII, 7. 8.

§. CXX.

Jam id autem, quod in sensu divino mortalium verè admiramur, est ipsum illud in sensu DIVINIUS: nempe, attentio vividior, judicatio clarior, voluntas major: seu SENTIENDI, velut unius toni, vis, claritas, magnitudo.

Quae sentiendi vis, claritas, magnitudo — nunc nobis κατ᾽ ἐξοχὴν dicantur sensus, ratio, numen. Et sensus, ratio, numen: ideo, quia & ingenii & acuminis & heroismi vox est vaga nimis: unde tot, velut in illo prisco mentium ordine, & genii & daemones & heroes amentis ERRORIS.

Jam igitur κατ᾽ ἐξοχὴν — SENSUM habet is, qui excellit attendendo seu indagine altiori: RATIONEM habet is, qui excellit judicando, dum id ipsum, quod attentione indagatum est, non modò QUID sed & in quocunque respectu QUANTUM sit, actu definit: NUMEN habet is, qui excellit volendo et ubique rationem totius seu MAXIMUM optat. Ergo sensu, ratione, numine, continetur divinior omnis attentio,

Digitized by Google

judicatio, voluntas: et in graduum hoc ordine clariùs cognoscimus eum, qui cernit, discernit, decernit verè altiora. cxviii.

2. „Sensus igitur κατ' εξοχην, id est, sensus eminentier, pro ingenio, archimetricè dici debet?“

Omnino palam: in actuali rerum Naturâ. Nam etiam veri operis verum IDEALE — non summum est FICTI, sed maximum FACTI: non SUMMUM quid Phantasiae, sed MAXIMUM Naturae: nec mentitum, sed verò sentitum: si a mentiendo et sentiendo haec opposite ita dicere liceat ideo, quia participium vulgare, sensus, nimis est ambiguum. Mentitum autem est verissimè quidquid fingitur ALITER quàm in sensu, quatenus ALITER: seu, quidquid eminiscimur, non reminiscimur. cxiii, 7. cxv, 4. 5. Hinc ubique tu quaere de ideali dato: mentitum, an sentitum? et patebit illico, veri operis verum ideale totum esse a nativo SENSU & in materiâ & in formâ, nec vel minimum esse a mente nisi quatenus amens. ciii, 3-9.

3. Quin adeo fatua vagatur ipsa illa vox INGENII, ut nihil non phantasticum videatur ingeniosum: vel, quia sanè aliter quàm in sensu, ideo a vi quadam intus aliâ, nempe ipsâ vividitate phantasiae:

Digitized by Google

xcvi, 7. At econtra, quidquid VERUM certò novimus, id nobis constat actuali sensu: etsi altiora altiùs experiundo. Nam vel NEWTON ipse id omne, quod videtur divinasse, neutiquam ex INGENIO suo finxit, sed in ipsius Naturae probâ RATIONE observavit, at SENSU diviniori.

4. Unde patet, INGENIUM dici propriè vividitatem phantasiae, qua facillimè fingitur: nos autem ipsam vim nativam ac divinam istius ingenii colimus, qua facillimè attenditur; et hanc vim esse ubique sensum diviniorem, seu SENSUM κατ' ἐξοχήν; id omnes experimur.

5. „RATIO autem an pro judicii acumine omni archimetricè dici poterit?"

Palam ideo, quia minima videt Acumen, non maxima; sed Ratio ubique videt omnia. Acumen item discernit quidem acutè, sed illud subtilissimè discretum, quantum jam utrinque sit, non definit; id quod est maximè Rationis. Hinc acumina mille milliesque mille, veluti salium particulae in libero aëre vagantes, nullam efficiunt RATIONEM, quia sine mathesi & TANTI & TOTIUS.

Nec ille gustus, quem insipidus quisque nil sapiens ore tamen crepat suo, minùs fit fatuus, ni ratio eminentior seu ratio

κατ' ἐξοχὴν eâ voce intelligatur — ideoque illud in ratione rationumque ratione altius, quo sibi constat opus omne artis.

6. „Et numen demum nostrum, numen illud humanum, quid actú notat archimetricè?“

Ubique rationem TOTIUS velle seu MAXIMUM: id est, ubique OPTIMUM optare. Ergo in volendo quidquid est divinius, vel intensè vel extensè, id numen vocatur mihi: pro heroismo, seu virtute eminentiore. Cur verò? quia ita velle, id esse videtur ipsum Numinis numen in illo melo UNIVERSI.

7. Excellunt heroës mentali nutu suo; non hoc Numinis numine, ad harmoniam TOTIUS tuendam.

Sine quo numine tamen huic genti heros dius nil erit alteri genti nisi admiranda bellua: et huic genti sagacissimus politicus nil alteri genti nisi vivus cacodaemon. Quin, sine quo numine, vel sophus mentalissimus nil fit nisi ingeniosa bestiola: validior, wolficus formicaleon: subtilior, kanticus araneus: ille captans formicarum laboriosas, et hic muscarum vagas, animulas.

8. VIRTUS enim verè tota est ipsum illud in te numen ad harmoniam TOTIUS tuendam: quia virtutis eo numine ita assentis Numini summo, ut omnino idem

Digitized by Google

sentias. Unde antiquum illud: „bonus vir sine deo nemo."

9. Quin est ipsa probitas viri boni, mathematicè explicita, nil nisi viva demonstratio panharmoniae divinae. L, 4. LXIII. CII. CXVIII, 8.

Ac palam, nec architectus aliam novit symmetriam, quam ipsius mundi; nec musicus harmoniam aliam, quàm unam illam omnium caelorum. Est enim RATIO & TANTI & TOTIUS, seu mathesis humana et divina, nonnisi UNA.

§. CXXI.

„Jam verò, cum hac divinâ & VERI & BONI facultate — in ipso SENSU, cur tamen humanum genus tam ruit amenter?"

Quia sibi a mente suâ sapit homo, ideo ruit amenter: nec realiter sentiendo attendit mathesin actualium divinam, sed idealiter fingit synthesin quamlibet antitheisticam. LVI. CIII.

2. Hinc evanuit humano generi, usque et ubique, cognoscendi vis omnis divinior: seu, sensus, ratio, numen. Evanuit attentionis ille sensus divinior, sophicè abstractus ad mentalia somnia: evanuit judicationis illa ratio divinior, poeticè distracta inter mille ingeniosa mendacia: evanuit voluntatis illud numen, politicè

Digitized by Google

contractum ad sacras omnes fictionum factionumque cacodaemonias: xcvii. Vanescit enim necessariò cognoscendi vis divinior omnis & per sophicam speculationem Opinionis, & per poëticam imitationem Moris, & per politicam illusionem Tyrannidis: id est, per universalem imposturam istam, quam adornat sophus, exornat poëta, subornat politicus, ad omnem usque ecstasin erroris. lxxiii. xcvi. cii, 3. cxviii, 8.

3. At econtra, in actualium divinâ stasi divinum est OBJECTUM — attentioni verus Mundus: judicio vera Natura: voluntati verum Numen: veluti minimum, medium, maximum cognitionis humanae. Sed illa vera objecta, MUNDUM, NATURAM, NUMEN, rapit nobis OPINIO, MOS, TYRANNIS. Unde pro attentione, judicio, voluntate — jam en ubique speculationem vagam, imitationem vanam, illusionem variam: immo tandem, pro SENSU divino, en undique irruit velut bruti somnii error omnis ac terror.

4. Haec autem cuncta ut uno conspectu videas, observa: illos gradus UNIVERSI eosdem esse HUMANITATIS.

Attentionis enim vi, seu altiori sensu, oritur nobis illud Mundi NECESSE: judicii claritate, seu ratione altiori, oritur nobis

Digitized by Google

illud Naturae OPORTET: voluntatis magnitudine, seu nostro numine intus, oritur nobis illud summi Numinis ESTO. CXVIII, 4, 6.

Et illud Mundi NECESSE verum constituit regimen physicè: illud Naturae OPORTET veram constituit rectitudinem technicè: illud Numinis ESTO veram constituit religionem harmonicè, nimirum eam, qua ita Deo assentias, ut omnino idem sentias. CVI, 6. 7. CXX, 8. 9.

Nam per hos gradus, NECESSE, OPORTET, ESTO, non transcendimus, sed ascendimus — ad actualem animi divinitatem. Mundi NECESSE: quod vivè sentis nec nisi amenter mens transcendere conatur. Naturae OPORTET, seu illius necessitatis ipsa RATIO intus: cui consentis, in verae artis vero judicio. Numinis ESTO: cui assentis vividissimè: illud videns panharmoniae melos, in cujus nec momentillo spiras et speras nisi vi vivâ UNIVERSI, et cujus nonnisi unum datur & maximi BENE & minimi BELLE. CI, 7. CXV, 6. CXVIII, 4. 6. 8.

5. Ubique tamen unicè quaeritur TANTUM, vel IN essendo vel AD essendum, TANTUM usque ad MAXIMUM.

Digitized by Google

Cap. V.

Methodus.

§. CXXII.

Methodorum omnium methodus erit ipsum illud archimetron, quod vidimus toties:

MINIMUM, MEDIUM, MAXIMUM.

In eo enim archimetro en illico cessat errorum vis illa magica seu abstractionis ecstasis: hoc hoc vide, cetera omitte. Quia palam illic TOTUM elucet. LXXXVI-VII.

At principium hujus archimetriae est ipsius divinae rationis principium illud imum et primum: TANTUM. Nam vel minimum non esse poterit minimum, nisi ratione suâ TANTI. XI. XII.

2. „Illud autem archimetron, sibi divinè ratum, nobis tamen ó quàm saepe fiet in metiendo irritum.“

Digitized by Google

ERRORIS igitur ecquam tu fingis tibi subtilitatem? jam eandem cur non vides nobis esse subtilitatem VERI?

Ubi subtiliùs erratur, illic etiam subtiliùs is error corrigitur: sicut in mathematicis. Ubi autem rudius est nostrum metron VERI; illic etiam rudius erit omne tentamen ERRORIS.

3. Et hinc patet, cur nobis verisimilium eadem sit certitudo, eadem apodixis, ac evidentium: eadem, etsi non par. LIV. CXIV, 3.

Quin, ubique positi et oppositi eadem erit ratio: nec major hujus formido, quàm illíus asseveratio.

4. Archimetriae vidimus continua specimina. XXV. XXVI. LXXVI. CVII. Nunc autem clariùs dilucescet, non solummodo cur in hoc archimetro nunquam errare liceat, XXXIII; sed etiam cur in illo CONTRARIA cuncta vanescant.

Nam in archimetro minimi medii maximi — en graduum habes incrementa, quot usquam sciri possint; sed genera contraria vides nullibi.

5. Sunt autem erroris velut zenith et nadir: VAGUM et CONTRARIUM.

Cur verò? quia PARUM videre, sursum spectando, nil notat nisi unitatis

VAGUM: ac deorsum, nil nisi varietatis CONTRARIUM. LXXXVI-VII.

Hinc nil agitavit usque et ubique Fatuitas humana, nisi VAGA et CONTRARIA. Quae tamen in archimetro VERI, minimi medii maximi, illico vanescunt.

6. Et ipsam vanescentiam igitur, seu rerum omnium VANITATEM, primò archimetricè videamus: ita verò, ut quot pateant gradus intermedii, eos notemus universos.

I. ALITER:
II. omnimoda ejusdem rei variatio:
III. ortus ac interitus:
IV. caducus aetatis & vigor & flos:
V. Fortunae mira vicissitudo et subitò vanescens prosperitas, opulentia, gloria, voluptas:
VI. etiam viri magni, reges, heroes, e culmine suo fulgido praecipites:
VII. urbes et arces, cum palatiorum statuarumque pompâ, sub ruinis:
VIII. imperia altè minitantia, respublicae florentissimae, monarchiae universales, post tot vesanè regnantium olympicos honores totque bellorum tartareos horrores, nil tandem nisi umbrae vastae vasti somnii:

Digitized by Google

IX. opinionum, religionum, ingentium systematum gigantomachia, omniumque fictionum factionumque immensa rabies, jam in pulverulentis latitans bibliothecarum sepulcris:

X. tum & mundanae vastationes, per turbines et fulmina, pestilentias et intemperies, terraetremores et vesuvios, voraginemque diluviorum:

XI. quin totius Naturae immensa illa evolutionum ac revolutionum scena, mundorumque demum pereuntium chaos, e quo novum tamen mox emicabit UNIVERSUM:

XII. quid igitur vanitas haec vanitatum est? quid? omnipotens ille aeternò creantis NUMINIS nutus.

En tibi vanescentiae, seu vanitatis mundanae, actualem stasin archimetricè notatam: cujus nunc staseos mathesin & physicam seu dixin, & technicam seu epidixin, & harmonicam seu apodixin, quousque licet, mediteris. CV. Heic enim specimen damus, non scientiam omnem.

7. At illico tamen vides: in hac methodo nullam dari notionem aut vagam aut contrariam: inde a primi momenti entitate verâ usque ad ultimi momenti evidens illud MAXIMUM. CVII, 4. CXI, 4. . . Si verò

Digitized by Google

momentum quiddam singulare non esset exactissimum, id quod fit facillimè; haec methodus tamen ipsa illud MINUS evidentiae suae indicat et corrigit.

8. „At NATURALIUM sunt forsan exempla faciliora?"

Ergo moralia potiùs exempla videamus.

REGIMEN

I. aratri:
II. navigii:
III. praedii:
IV. familiae:
V. collegii:
VI. urbis: —
VII. reipublicae:
VIII. orbis politici:
IX. mentis humanae:
X. naturalis vicissitudinis:
XI. orbium solarium:
XII. UNIVERSI.

Nimirum ubique eadem illa mathesis actualium divina: illa RATIO rationumque ratio in infinitum.

9. Unde verò palam vides

DEPENDERE

cellam tuam a domo:
domum ab urbe:
urbem a regione:
regionem a regno:

Digitized by Google

regnum ab orbe politico:
orbem politicum a mente humanâ:
mentem humanam a Naturâ:
Naturam a Numine:

et in quovis TOTO ita MINUS a MAJORI dependere, ut illud velle sine hoc tam sit amens, quàm cogitare MAJUS sine suo MINORI omni, quo unicè & intelligitur & exstat.

§. CXXIII.

In illo vero UNIVERSI ordine jam nihil non dilucet, e. g. QUANTI sit

HOMO

I. in ipsâ naturâ divinus: LXXXV. 5.
II. parentum blanda spes:
III. amantium amor:
IV. piis mille curis vir demum:
V. pater & ille ac suorum genius tutelaris:
VI. in republica civis bonus, communi saluti carus:
VII. hominibus humanus ubique:
VIII. mundi speculator sublimior:
IX. Numini velut familiaris:
X. aeternitatem anticipans.

Hunc igitur hominem dium contemnere, hunc fame et infamiâ perdere, quin per lusum trucidare; id jam itidem, QUANTI sit, patet. LXXXV, 5-9.

Digitized by Google

2. Nec aliter alia quaecunque in hoc ordine nativo dilucent. e. g.

GLORIA, nam oritur,
suum sentiendo BONUM, voluptas:
suum sentiendo MELIUS, gloria:
suum sentiendo OPTIMUM, tranquillitas dia.

At MELIUS illud in aliâ relatione aliud videtur, unde gloriae certamen usque novum:

I. infantes, quin immo bruta, suum ostentant MELIUS;

II. mutilus mutilum vincere gestit, vetula vetulam superare:

III. etiam barbarus inops — en tamen pigmentis, conchis, plumis coloreis fulget, dum incedit alte spernax, non monarcha, sed vitae mortisque sibi deus:

IV. jam & miles gloriosus, & artifex superbus, & doctor alto supercilio:

V. tum ordo civium ecquis non sua sibi arrogans? magnatumque illa varia magnitudo:

VI. elatior etiam rex, heros, poëta:

VII. ac summus demum summae superstitionis propheta.

Nam BONUM si quem extollit, jam & MELIUS opinatum quomodo non magis extolleret?

Digitized by Google

3. Ostentatur autem, vel ab interiori,
robur, ingenium, virtus:
vel ab exteriori,
pulcritudo, felicitas, potentia:
semper tamen actu nil nisi — MELIUS. Sed hujus tanta vis est, ut, aeternâ lege Numinis, ubique ARISTOCRATIAM potiatur
MELIUS in sequius:
fanaticam econtra tyrannicamque aristocratiam potitur
urbicus in rusticum:
honoratior in plebem:
dives in pauperes, etsi honoratissimos.

4. Divinitus enim et verè quid sit in humanâ facultate MELIUS, id ex ipso actu patet, ac palam en igitur
EXCELLIT
I. speciem vera vis:
II. vim ingenium:
III. ingenium venustas:
IV. venustatem beneficium:
V. beneficium RATIO:
quia ratione, seu mathesi actualium divinâ, continetur maximè quidquid ad omnem FINEM valet. LXXXV, 9.

Et hinc nullum usquam oritur
DELICTUM nisi
I. deliquio rationis, metaphysicè:

Digitized by Google

II. nullo beneficio, cacodaemonicè:
III. spretâ venustate, transcendenter:
IV. stulto ingenio, autonomicè:
V. brutâ vi, absolutè:
ac demum omni mentis amentia
altâ specie, fanaticè,

seu, isto vigili somnio miro, diro, quo, ſupra deos elatus, homo infra beſtias furit. VIII. XVI. XXXVIII. XLIV-V. LII, 5. LXIII-V. LXXXVI-VII. CI. CIII. CXII, 7. 8.

5. Delictum autem eatenus, quatenus verè delictum. Nam etiam in atroci crimine quidquid fit I. cum ratione, II. beneficè, III. venustè, IV. ingeniosè, V. fortiter; id ultro admiramur. Cur verò? quia in hoc divino Universo aliud nullum datur

BENE,
quàm harmoniae
unum, unum illud: L, 4.
a minimo TANTI: usque
ad maximum TOTIUS.

Nec igitur delictum oritur ullum, nisi per MINUS harmoniae, seu deliquio rationis harmonicae: id quod in abstractionum ecstasi fieri vidimus. LXXXVI-VIII. CIII. CXIV, 3.

6. „Jam verò harmoniae MAXIMUM illud, seu divinitus OPTIMUM, quidnam?“

Digitized by Google

OPTIMUM ubique in rerum Naturâ est

UNIO

monadum, in elementa:
attractionum, in systasin:
totiusque cosmici amoris:

tum, pulvisculorum unio in lapides: et

lapidum, in tuguria, in templa:
nec minùs altior quaevis unio

idearum, in intellectum unum:
affectionum, in salutem communem:
inopum, in opem omnium omnem:
amantium, in sui generis aeternitatem: atque

civium, in urbes et regna:
foederum, in orbem politicum:
humanitatis, in unum omnibus jus Naturae:

Naturae demum, in vivum illud Numinis melos, in PANHARMONIAM.

Sicut autem virium UNIONE omnis oritur POTENTIA; ita & libertatis vago errore nihil non disperditur. XXXIX. CXVIII, 7.

Digitized by Google

7. Ideoque mirè brutam ac ferinam vagari videmus omnem

INDEPENDENTIAM

mentis a Naturâ, seu phantasiae a sensu:

voluntatis a ratione:

rationis a TANTO actuali;

opinionis a CERTISSIMO:

moris a verè OPTIMO:

juris mei a jure tuo:

viri a virtute:

regiminis a RECTO.

Nec enim systematis unius datur, aut IN essendo veritas, aut AD essendum lex, nisi una. XLII, L, 4.

8. Inde verò benevolum etiam suspirium in aliis amamus: nam & illic suavius quid sentimus harmoniae divinae. Et eodem illo caelesti melo fruimur, etiam ejus in concentu moriendo.

9. Quin palam, nec BENE, nec VOLUPE datur nisi unum: unum & maximi momenti & minimi, omnino idem. Ac sicut PULCHRITUDO est una in hoc divino Universo; ita & VIRTUS & SALUS.

§. CXXIV.

„Ergo tandem non aliter differunt vitium et virtus, quàm animi pusillitas et magnitudo?“

Evidentiam ipse vide Naturae. En enim suum sibi quisque meditatur BENE, suumque sibi suae modulans harmoniae BELLE. Et aliquam sanè videt quisque mathesin rationis: aliquam: nec ultra. At sicubi ab arte suâ quis linquitur, illico delinquitur— inerti errore: suntque delicta nil nisi rationis deliquia: nempe rationis harmonicae. XXXVIII. etc. XLIV-V. LXIII, 7-9. CIII. CXXIII, 5.

2. Hinc, ni mortalium diviniores et verè magnanimi regnant; jam & nullum vel intelligitur quidem regimen RECTI, nullà divina rationum ratio, nulla salus TOTIUS.

3. Est autem vivo actu virtus: VIS HARMONICA. Et haec, inde a minimo usque ad maximum, quàm infinitè varia esse possit, vides; at varia tamen gradu solo, non ipsâ vi harmoniae. CVI, 8.

4. Ideoque PROBITAS: virtutum illa virtus: divinae rationis & observatio & observantia: simul & judicii & officii vis harmonica: ipsa rectitudo TANTI ac TOTIUS: illa, inquam, probitas, romanae voce magnitudinis, INTEGRITAS dicta fuit. Cur verò? quia integram rerum stasin cognoscit: nec partem judicat nisi verâ in ratione TOTIUS. Unde integritas illa videt & MAXIMI minimum & MINIMI maximum: videt, ac ridet

scholarum somnambulos, qui aeternò sibi captant abstracta illudia, vel totitatum VAGA, vel particularum CONTRARIA. CI, 4, CXXII, 5. Quod somnium in hac reali Naturae methodo illico vanescit.

„Fateor, jam & moralia in illo archimetro mirè illucescere.“

Ideo nimirum, quia TOTUM ubique vides: divinum Universum: veram Naturam: non scholae vel inania spatia vel araneosos angulos. CXX, 9.

5. At inde nativae simul & soliditatis & sublimitatis methodus est haec eadem. In illâ enim occurrit Oratori e. g. celebraturo MESSEM,

I. primaeva inopia hominum diorum:

II. jam querula quaeritatio alentis glandis, radicis, pomi, quaeritatio miserè vagantium per salebras, per siluas:

III. tandem inventum illud cuncta beans frumentum:

IV. nunc arvum et aratrum et seges et MESSIS:

V. nunc laeta rura colonorumque beatus populus:

VI. sensim urbes et regna et commerciorum opulentia et exercituum classiumque formidata magnitudo;

Digitized by Google

VII. a glande miserâ usque ad regale
pomum unus igitur conspectus,
at laetus ille laetas en super segetes,
quarum flavâ luce aurescit thronus:
VIII. caelitus autem nobis messem gignit
sol almus, latices terrae sublimans
imos:
IX. at sublimat soles ipsos, animatque
Naturam, NUMEN.

Vides verae magnitudinis verum pathos.

6. Vides & SUBLIMITATIS ipsam vim latere in hac ratione minimi ad maximum: non aliter ac in illo numinis nutu, FIAT! cujus minimi en emicat maximum — Universum. Itidem ubique: SUBLIME agit unô ictu omnia. CXII, 9. Quam sublimitatem sibi ludit sophus inani specie. LXXXI, 4. LXXXIX, 6. 7. XC, 2. Tu autem tibi archimetricè cogita vel in vili arenulâ —

valorem, usque ad adamantem:
magnitudinem, usque ad alpes:
sublimitatem, usque ad atomum, ad
aliquid, ad ideam in ipsâ mente
Dei.

7. „Hoc verè admiror verum Naturae PATHOS, & in maximi minimo & in minimi maximo: at sublimitatem dum attendo, jam profunditatem non cerno.“

Digitized by Google

Variatur facillimè directio archimetri: ergo, IMI et SUMMI archimetron si nolis, en fiat archimetron idem EXTIMI et INTIMI. Quod & suprà toties vidimus. CXXII, 6. 7.

8. „ At mathematicorum tamen haec non esse videtur methodus?"

Non mathematicorum hercle; sed ipsius matheseos. Ea enim nil meditatur usque, nisi maximi minimum et minimi maximum: tendens vel analyticè a maximo ad minimum vel syntheticè a minimo ad maximum sui DATI: per omnem & dixin & epidixin & apodixin. CI, 4. CV. CVII, 8.

9. Sed vulgari mathesi deesse mathesin, seu archimetron; id olim videre juvabit.

Nunc ad majora tendimus.

§. CXXV.

Archimetriae igitur vel minimo conspectu vanescit illico & VAGUM & CONTRARIUM omne. CXXII, 4. 5.

Jam verò in Physicis κατ᾽ ἐξοχὴν & vagè TOTUM, & contrariè PARTICULAS, usque meditantur scholarum somnambuli: dum vel totum ex particulis et mundos ex atomis verè co-agitando cogitant, vel abstractarum virium somniant daemonismum. LXXVIII. CXV, 5.

Digitized by Google

2. Nec enim aliter quàm archimetricè dilucet illud mirabile:

I. non ex particulis confieri totum, sed ex toto particulas:

II. nam ipsius notionis imum est objecti SUMMUM, et analyseos primum est ipsum TOTUM, et artis rudimentum est in omni mole ideale chaos:

III. itidemque rerum Natura intus verè, non glutinat ex moleculis, sed generat et gignit polypicè, totumque prosilit ex ideali toto.

Id quod ubique in ipsis Naturae vivis initiis et creatricibus ideis patet. Tum verò, vi suâ intimè harmonicâ, TOTILLUM hoc sibi suam attrahit et contrahit materiam, quam illico sublimat et format in suas particulas: nec sunt ipsae particulae jamdum formatae nisi alia totilla ex alio toto idealiter genita.

3. At in scholis — da, da, clamant, materiam et motum et ego dabo formam. Cur enim? quia TOTUM ipsum ideale formae, quam dabunt, jam ex Naturâ habent. Et hercle, dum sumunt sibi MATERIAM totam et VIM totam et Naturae IDEALE totum; cur non usque suas vagè varias luderent formas mundosque omnes vanae PHANTASIAE? Ac tamen haec

Digitized by Google

sophicè archimaga, sed ingenter fatua, simia Dei, en postquam datam sibi dederit

& materiae omniessentiam
& motuum omnipotentiam
& formarum omniscientiam,

en demum alto ingenio stultissimè consomniat ex atomis materiam, non ex materiâ istas atomos et ex viribus TOTUM, non ex toto cunctas totius vires: quasi ex entitatibus ens, non ex ente illas entitates et ex potentiâ POTENS non ex POTENTE potentiam. CX, 2.

4. Analyticè quidem a maximo ad minimum tendimus, et syntheticè a minimo ad maximum: seu, analyticè ad Naturae mysteria ire, syntheticè redire, licet. Sed qui, redeundo syntheticè, jam semet putat Naturam componere; nae is ita amens est ac si dum ITER faciat, semet putaret etiam VIAM facere, vel dum spiret ac videat, semet a sese aërem creare, vitam, lucem, mundum.

5. Non enim vident isti visionarii, TOTUM divinitus illico dari: TOTUM esse & objecti summè primum & notionis imum: TOTUM esse rudimentum & entis & mentis. Ita vocem fuisse patet ante voces: artuum systasin ante articulationes: SENSUM itidem ante sensiones: et, sicuti

Digitized by Google

lumen ante colores, visio ante species visas, tonus ante tonos, ita Universum ante omnes omnium motuum formas. LXIII, 4. Nec in ipsâ arte nostrâ quidquam a minimis inchoatur, sed a maximis, at his extimè seu summè ac vagè visis: nam inchoatur in arte nostrâ omne — a rudi adumbratione TOTIUS, vel aedis vel urbis, sicuti pictor palam a rudi adumbratione suâ vel singulae formae vel universae tabulae. Tendimus igitur primitus ubique a TOTO ad partes partiumque partes rationatissimas, quarum omnium, quatenus partium, nulla fuisset unquam vel idea vel essentia nisi unicè IN et EX illo TOTO.

6. Et heic en tibi verum illud complementum possibilitatis wolfianae, seu veram existentiam, in partium exactissimâ conformatione ad harmoniam TOTIUS: ubi verò ipsa possibilitas — est illud TOTIUS datum ac dati TOTUM, sine quo nihil vel esse vel fieri intelligitur. Ipsius inde harmoniae essentiali necessitate partes a TOTO sunt formaliter: sed & illa materialis existentia partium erit itidem a suo TOTO formatrice, totorumque TOTO, seu Naturae demum Numine. Adeo ut, & formaliter & materialiter, evidentissimum actu sit axioma hoc: nil nisi a TOTO — esse intelligitur.

Digitized by Google

Id quod etiam ubique clam supponunt impostores vel altissimi: etsi hercle altius videtur — non videre ullum ENS ante essentiam, ullum POTENS ante potentiam seu vim, ullum MOVENS ante motum: et certè illud, ita trans Naturam omnem evagans, erit A MENTE quidem, sed amentissimum.

7. Palam autem: a TOTO metaphysicè noscibili — omnis inchoatur scientia: et in TOTUM physicè notum — tendit eadem. Ergo transcendentalem illam TOTITATEM, a priori noscibilem ubique, vixdum videns illico videt analyticus; id est; vixdum intelligens intelligit Metaphysicam omnem. LXXVI. CXI. Unde ipsi demum somnambuli raptim clamitant:

TOTUM partibus notius!
TOTUM partibus prius!

8. Est enim superficiei quidem ubique sua SUMMITAS: omniumque omnia superans species est ipsa OMNITUDO. Sed actu tamen vero, nullum nisi minimi datur MAXIMUM: et nullum nisi maximi datur MINIMUM. Itidemque verè: nonnisi imi datur SUMMUM: et nonnisi summi datur IMUM. Quam sapientiae solidam rationem quisque demum poterit palpare. Nam in thesi tu omni, si quid sumis, UNDE sumis?

Digitized by Google

video: UNDE vides?
sentio: UNDE sentis?
moveor: UNDE moveris?

Illud hercle, actu videre, actu sentire, actu moveri, nisi a reali TOTO totorumque TOTO seu divino Universo & essentiae & potentiae, nemo vel summè visionarius unquam sibi possibilitabit. Hoc tamen si tentat, en illico tu de primâ ejus thesi tuum intona: UNDE? et redit, redit nobis usque minimorum verè MAXIMUM, sive UNIVERSUM & essentiae & potentiae, ac demum illius universi NUMEN.

9. Et heic nostram vides methodorum methodum palam explicitam. Nam

de MAXIMO quaere: cujus minimi?
de MINIMO: cujus maximi?
de SUMMO item: cujus imi?
de IMO: cujus id sit summi?

Ubique verò quaere: UNDE? UNDE? et in ideâ vel minimâ nunquam omittes NATURAM, quousque pateat, maximam: et in naturâ vel imâ nunquam omittes NUMEN illud, quousque lateat, summum.

§. CXXVI.

Ita demum & ipsos ridebis altior sophos mundifigulos omnes: in fingendo verè fatuos figulos: quibus cujuscunque sui figminis materia, motus, forma — esse

putantur PRINCIPIA ideo, quia non quaerunt UNDE? unde materia? unde motus? unde forma? et quibus igitur ecstaticis rerum omnium figulis bellè pol inane demum echoat numen ex ollarum purè mentalium sonanti concavitudine: id est, ex vocabulorum, non reali TOTO, sed vagâ totitate.

2. Nam cogitatur mentali thesi ac synthesi — nihil ultra fatuitatem cogitantis; dum entali stasi ac systasi — non quidem transcenditur, sed ascenditur ad imorum entium SUMMUM ENS et ad omnium potentium omnipotentiam. CX, 3.

3. „En ergo demum scalam praedicamentalem, tui archimetri summam speciem.“

Bene hercle summam, seu extimè vagam, speciem: quam tamen non a mente suâ eminiscitur, sed a vero ente reminiscitur, quisque. CXI, 2. Illa verò scala tendit idealiter ab extimè imo ad extimè summum: e. g. HOC — ALIQUID. Sed archimetron, etsi umbraticum istud non omittit, tamen κατ' ἐξοχήν tendit realiter ab intimè minimo ad intimè maximum et ab hoc ad illud: e. g.

ENS
monadis — NUMINIS:
atomi — UNIVERSI:
arenulae — creatricis IDEAE: CXXIV, 6.

Digitized by Google

atque

ENS vagi pulvisculi,

per se, vilissimum: et

in oculum irruens, exsecratum:

sed idem tamen pulvisculi ens

in adamante?

in rosâ?

in diâ luce?

in dulcedine?

in lacrimulâ tuae charitis?

in spiritu vitali?

MATERIAM, MATERIAM exclamant ad hoc melos rudiores: qui tamen usque materialiter sua sibi spiritualia somniant. Et quid est igitur — ALIQUID? Ergo-ne transcendere ad mentis humanae NIHIL, videtur sublimius, quàm ascendere ad entis divini TOTUM? et idearum inanitas plus ergo habet NUMINIS, quàm rerum viva vis? Sed jam vidimus id, quod est evidentissimum: ENTIS, vel imi vel summi, et vel minimi vel maximi, non dari nisi unum ESSE nec virium nisi una VIS. CX, 3.

4. Non aliter cuique rudiori — jam stanti statuitur QUIES in rerum Naturâ, et jam vaganti MOTUS, velut infinitè contraria: ideo verò, quia GRAVITATIONIS archimetron, a minimo aethereae particulae ad maximum aequilibrii mundani, eidem cogitaba-

Digitized by Google

tur nunquam: nec is vim TENDENTIAE quietissimè gravitantis — esse ipsissimam vim ruentium, etiam cum velocissimo motu, videt.

5. At in archimetro Universi patet, & quiete & motu eandem contineri vivam VIM: nec dari actu vel essendi nisi unam ESSENTIAM vel possendi nisi unam POTENTIAM: quam utramque κατ᾽ ἐξοχήν, seu optimam maximam, in NUMINE, per necessarium ascensum, adoramus, et ab EODEM sustentari vel minima, id necessario descensu cogitamus: utrinque NIHILI chasmate nullo. CXVI, 2. 6, CXVIII, 9.

§. CXXVII.

Jam sicut in Gravitatione, vel quietissimâ, movendi cessat exterior actio, non autem interior actus, et VIS verè vivit eadem; ita & in Sensione, saepe nobis insensili. Nec infinitior MOTUS est quàm

SENSUS

I. minimus MONADIS:

II. medius ANIMANTIS:

III. maximus NUMINIS:

In quo sentiendi archimetro — dolor demum ipse ita in salutem emollescit, ac dissonantia domita in melos: L, 3. Sed rudiores iidem, qui abstractione amentes facillimè sibi cogitant Universum amens,

Digitized by Google

cur etiam id, quod ubique vident esse maximè divinum, non crederent esse minimè animatum?

2. „Universum autem si necessariò cogitatur & animatum & sentiens atque UNIUS ubique & essentiae & potentiae; en palam igitur pantheismum!“

Omnino: sed in ratione divinâ TANTI: et eatenus, quatenus infinitè minimum distat — ab infinitè MAXIMO. In ipsâ naturâ humanâ ecquid non est humanum? ad extimam usque visionis umbram: ad evanidam usque voculae ideam. Ita etiam in Universo divino, ecquid non erit divinum? At imorum SUMMUM et minimorum MAXIMUM ideo sophi negant, quia nullum habent archimetron TOTIUS, et ubi MEDIA igitur viderent, en ibi somniant sua NIHILI chasmata. Hinc aut Deum affirmant, negantes ubique Divinum omne; aut Divinum ubique omne affirmantes, in rerum & essentiâ & potentiâ, tamen Deum negant. Qui stultissimi cur non, Hominem affirmando, negant Humanum omne; aut, Humanum omne affirmando, negant Hominem? Nec enim datur effectio ulla, nisi efficientis.

3. Ergo demum ipso actu, quousque Divinum intelligitur, eousque intelligitur Deus: sicuti, quousque Humanum intelligitur,

Digitized by Google

eorisque Homo. Ac licet pueriliter Naturae NUMEN fingitur hominiforme; necessario tamen esse cogitatur substantiale, in verè infinitâ, id est, OMNI & essentiâ & potentiâ. CX, 3. Etsi verò substantiale omne & ENS & POTENS divinum est, tamen genita cuncta semper erunt & minima eadem & in suâ naturâ sui juris. Nec enim ABSOLUTUM cogitatur quidquam nisi a mente amentissimè. CIII, 3. XXXIV.

4. Nunc verò eam colimus IDEAM summam divini Universi, qua cogitatur actu nil nisi patentissima ista firmamentalis OLLA globulorum atrorum alborumque: seu planetarum ac solium: id est, nil nisi atheisticae irrisionis ludibrium.

5. Sed altiorem illam analogiam, etiam in minimis maximam, jam olim scaldus juvenilis meditabar. — In excelsâ rupe inter siluas beati ruris consedebam: solem spectans occasurum, ita verò torridâ nebulâ velatum, ùt aeneus videretur, taetro colore. Et quàm facilè (ita subitò cogitabam) haec fuisset hujus divini solis species nativa: at usque tamen taeterior sol & ille — nobis mundi lux alma. Non aliter ac si, nostri sanguinis in globulo quodam sophus pusillus pusillimi sui generis, at sibi tamen infinita speculans, inter innumeros undique mirè

Digitized by Google

motos globulos jam & is globulum candentissimum — suum vocitaret SOLEM: inde sibi ex omnium vario habitu et motu firmamentale modulaturus UNIVERSUM. Nil ille de venulâ, qua suus & capitur & rapitur mundus, novit: nil de nostri sanguinis torrente toto: nil de illo ente animatissimo, cui pusillimi sui entis animulam spirat.

6. Is igitur sophus tu eris; ni hoc altius cogites, esse demum soles omnes — velut spiritus vitales in minimo velut nervillo Naturae omnivivae. Nec, nisi hujus analogiae archimetro, UNIVERSUM verè divinum intelligitur.

7. Partes enim, partiumque particulas, en puerili abstractione, distractione, contractione, sophi sibi fingunt: particulas verò suae mentis, non divini ENTIS, in quo nil nisi continuum.

„Nil nisi continuum?"

Id si non palam vides, jam tolle CONTINUUM, et cogitas illico nihil. Nec enim VACUI fatua vox tertium quiddam conflabit inter ALIQUID et NIHIL.

8. Continuitas autem illa erit & extensionis & intensionis: erit & essentiae & potentiae: erit omnimodae PERFECTIONIS in infinitum, XLI.

Digitized by Google

Nec alias demum verè in hoc divino Universo cogitari licet

PARTES, quàm

in lumine myriades colorum:

in sono varietas tota sonorum:

in sensu possibilitas illa sensionum:

in vi unâ omnia momenta:

in essendo minimum usque ad MAXIMUM.

9. Et in hoc MAXIMO Naturae essentialiter continuae, in hoc MAXIMO hujus ubique divinae POTENTIAE, tam Numen cogitatur necessariò, quàm

virium VIS,

sensuum SENSUS,

entium ENS.

Hinc verò dilucet, cur Probitas illa sanctior mathematici rigoris, quia divinam ubique rationem rationumque rationem, usque ad melos intimè harmonicum Universi, colit; cur, inquam, haec Probitas, in hujus archimetri evidenti necessitate, a minimo per medium ad MAXIMUM, semper ascendat ad Naturae Numen; ita constanter, ut sit bonus vir sine deo nemo. XLI. L. LXIII, 6. LXX. CII, 2. 3. CV, 3. CXX, 7. 8. 9.

§. CXXVIII.

Sed jam dilucet itidem, cur fictionum et factionum omnium doctores, etiam cum

fervore religiosissimo, tamen usque tam atheisticè regnaverint. Nimirum ideo, quia in abstractionum isto vago somnio, seu in suâ mentali amentiâ, sine ullo RATIONIS divinae archimetro, semper viderunt UNUM SINE ALTERO. LXXXVI-VII.

2. Inde theoriae, quot earum fingunt myriades, omnes tam atheisticae sunt quàm' amentes.

NAVEM construunt ex partibus partiumque particulis; sed UNDE sint & hae partes & illa totius idea? UNDE tot virium rationumque, gravitatis et levitatis, marium et ventorum, caeli et siderum, actio et hujus actionis harmonia? id eis cogitatur nunquam.

REGNUM construunt ex partibus partiumque particulis; sed UNDE sint & hae partes & illa totius idea? UNDE tot affectionum unio, tot contrariorum salus una? id eis cogitatur nunquam.

MENTEM construunt demum ex totitatibus totitatumque totitate; sed UNDE sint & hae totitates & illa totitas una? una eademque totitas & mentis & ENTIS? tum, UNDE sit nobis ens omne, seu, id quod est? nempe, a sensu: et unde sensus? palam a Naturâ: et unde Natura? nisi a Numine

Digitized by Google

omnipotentiae vivo, in illo melo panharmoniae: id, sine ullo archimetro minimi ad maximum, eis cogitatur nunquam. LXXXIX, 7. 8. XC. XCI. CXI. CXII.

Nec aliter veritatem consomniant ex nullis essendi momentis: virtutem ex nullis rationis momentis: quin ex nullis beandi momentis ipsam beatitudinem.

3. Est enim ubique eadem ista philosophia, nempe, non ardua VERI divini ATTENTIO, sed ABSTRACTIO facillima vagae mentis haec: SUMMUM cogitare sine imo, et imum sine summo: EXTIMUM cogitare sine intimo, et intimum sine extimo: MAXIMUM cogitare sine minimo, et minimum sine maximo: semper—UNUM SINE ALTERO: id quod ipsam esse vidimus artem amentiae, artem errorum scelerumque, artem somnii ac furoris, ipsamque demum transcendentiam cacodaemonismi. LXXXV-VII. CXII, 7. Etsi tamen in illâ undique SUMMI vanâ specie PURUM nil vident, nisi quia PARUM. CXI, 5. 6.

4. Ita VIM divinam cogitant sine effectu divino ullo, et effectum divinum omnem sine divinâ vi: omnipotentiam igitur sine omni potentiâ, et hanc sine illâ. Utrinque, tam atheisticè quàm amenter, abstrahit fatua mens. LXXXV, 4. Utrinque luditur

Digitized by Google

vesanè TOTUM sine parte, et sine toto PARS: etiamsi nunquam exstant RELATA nisi uno eodemque instanti simul.

5. Qui ludus abstractionis illico summae — in theoriâ videtur olympicus; in praxi verè tartareus. Nam inde doctores en, ubique terrarum, a mente amentissimos: dum horrifico religionum zelo conservant homines OMNES — at unumquemque fame et infamiâ, servitiis et bellis, omnique stupore ac furore, usque enecari jubent. Quasi verò HUMANITAS exstaret ulla, nisi palam in homine unoquoque. LXXII, 3. LXXXV, 5-9.

6. Nec igitur miremur demum: doctoralem atheismum, qui mentali FICTO Naturam usque cupit destruere, mox entali FACTO destrui. Dum enim varia nostra nobis a mente commenta ludimus; Natura eandem suam legem urgit divinâ vi.

7. „Ergo, quidquid ex Naturae actuali evidentiâ non aestimatur, id atheisticum erit illico."

Non solummodo negativè atheisticum; sed etiam affirmativè antitheisticum id erit omne. LVI, 6.

Nam a suâ MENTE, non a divino ENTE verum et bonum qui statuit, is nonne SESE contra DEUM statuit? is nonne antitheismum ludit palam?

Digitized by Google

§. CXXIX.

Sed in ipsius Naturae actuali evidentiâ seu mathesi divinâ — velut vox viva Dei nos docet: nos docet & judicium IN essendo & officium AD essendum: nos docet genuinam harmonicae RATIONIS & theoriam & praxin. L. CII, 3. CVI, 8. CXX, 9. CXXIII, 5. 6.

2. Nam est Natura verissimè ARS ipsa Dei revelationumque revelatio. XI. XII. CXXI, 4.

3. Ita palam, ut per naturale hoc archimetron TANTI ac TOTIUS, hoc archimetron minimi ad maximum et maximi ad minimum, non solummodò facili sed etiam necessariâ progressione, & VERUM & BONUM omne, omne, divinitus inveniatur.

4. At sine rationis divinae archimetro nil computatur; sed facillimè minimum putatur maximum et maximum putatur minimum.

5. Nec solummodò sine RATIONE et FIDE, quin prope sine SENSU, Cap. I-IV, vaga ruit doctoralis amentia; sed, quia sine methodo, jam & sine MEMORIA en usque recurritur prisci erroris gyrus rapitque sibi, ex quovis FACTO, hic hoc, ille illud, in suae liberae opinionis furorem liberrimum. LXXXVII.

6. Sapere autem sine memoriâ totius exactissimâ — adeo non licet, ut & antiquitus,

Digitized by Google

MNEME seu MNEMOSYNE musarum omnium dicta sit mater.

Quae MEMORIA totius — omnino erit nulla sine hac methodo reali seu archimetro momentorum omnium. Unde vidimus in abstractione simul cum sensu et ratione ipsam plane memoriam, vanescere. LXXIV, 8. 9. LXXXVI-VII.

7. Quid igitur? Nil summos demum humani generis rectores regit, nisi fortuita visionum ecstasis; nil, nisi vaga FORS fortioris amentiae.

§. CXXX.

Et hinc demum patet, cur Naturae LIBRUM, usque apertum, legere tamen verè — nunquam potuerit mens mortalium: in illâ suâ crebrâ ecstasi amentiae. Nam LIBRUM, unde raptim cuique rapitur quidquid libet, quis verè legit? Sed in hac methodorum methodo, in hoc archimetro minimi ad maximum, ipsa latet ars divina divinum Naturae librum legendi. Nec enim nunc illius vagas dictiones arripere, eisque vagum complementum possibilitatis tuâ vagâ mente affingere, licet; sed heic necessariò totam quamvis periodum, et periodorum periodum, legere cogeris. Ita verò, ut quantum legas, et quantum non legas, jam actu scias, in illâ divinâ ratione TANTI AC TOTIUS.

Digitized by Google

2. Quin & in quacunque dabili quaestione tractandâ — methodus erit methodorum eadem idemque archimetron MINIMI MEDII MAXIMI. Quid enim tractare liceat, id invenies per archimetron staseos tuae: QUIS? CUI? QUANDO? Et ipsam tractationem invenies per archimetron dati subjecti: e. g. LIBRI. Liber autem κατ' εξοχην ex NOVITATE solâ censetur. Jam in LIBRO quocunque datur ipsius rei tractatae — vel novus conspectus: vel nova forma: vel nova materia. Atque praestat novum illum conspectum institutor: novam illam formam constitutor: novam illam materiam stator. Ex eo igitur, quod quisque praestat, judicatur praestantia cujusque: ceteris paribus. ARISTOTELES erat Philosophiae summus quidam & institutor & constitutor & stator: a potiori tamen constitutor: at VERULAMIUS a potiori stator. Ita & PLATO ad SOCRATEM & aevo nostro WOLFIUS ad LEIBNITZIUM comparatus. Sed quia materialia scientiae seu originalia DATA, etsi divinitus, at sensim tamen, fuerunt inventa, ideo statores, seu κατ' εξοχην auctores, parum celebrantur. Formam autem jam inventae scientiae variè reformare, id, etsi non praestantius, tamen quia prostantius, ideo principale videtur. Hinc opus literarium erit omne

Digitized by Google

I. vel institutorium, seu conspectuale:
II. vel constitutorium, seu principale:
III. vel statorium, seu originale.

Et, per idem archimetron minimi medii maximi, primum illud genus novè praesentat suae scientiae — vel censuram, seu κρισιν: vel fatum, seu historiam: vel tractationem ipsam. Secundum genus denuo format suae scientiae — vel thema quoddam: vel theoriam insigniorem: vel totum systema. Tertium genus primitus dat — vel experimentum: vel methodum: vel inventum. En iterum comparetur: praesentator, formator, dator. Esse autem & HISTORICUM omne, si vel monimentum ac specimen, experimenti Datum: methodum item, non formalem lusum, sed realem efficiendi modum: et inventum nullum, nisi publicè probatum: patet. At in ipsâ demum aestimatione quaeri potest ubique, inde a minimo gradu, norma VULGI? DOCTORUM? NATURAE?

3. Et illa naturae norma quaenam? archimetron: cujus nunc videamus divinam systasin omnem.

Digitized by Google

Cap. VI.

Scientia.

§. CXXXI.

„Jam demum, quid ipsa erit SCIENTIA?“

Palam: nota ratio TANTI. Itidem verò: quidquid in quocunque sensu scias. Nam id, quod verè sentis, scis: nec verè sentis, nisi TANTUM. III, CVIII, 2.

„Evidentius hoc fieri nequit: et ipsam TANTI evidentiam esse RATIONEM & divinam & humanam, vidi. At scientia κατ᾽ εξοχην?“

Palam: nota ratio TOTIUS.

2. Esse autem omnem quaestionem verissimè quaestionem FACTI, seu, ejus quod EST: id jam patet. CVI.

3. Quid igitur? mathesis FACTI seu illa nota ratio TOTIUS, id est, scientia κατ᾽ εξοχην, ipsum actu erit archimetron minimi usque ad maximum & IN essendo & AD

essendum, seu, ipsa erit praxis methodi circa quodlibet objectum & theoreticum & practicum. XII. CXXII.

4. At MOMENTA hujus archimetri sunt quidem in sensu divinitus data: sed quomodo fiant aeque divinitus rata, id jam videamus. IX. X.

Dati cujuscunque habetur — vel minimum seu indicatio, ITA: vel medium seu judicatio, ESSE ita: vel maximum seu aestimatio, EATENUS ita. IX. XXX. CVI. Qua aestimatione sensim oritur nobis TANTI & divina ratio & humana scientia omnis: quin & voluntatis illa tota rectitudo. XLIX. L. CII. CXX, 9. Sunt enim aestimandi momenta verè movimenta volendi seu actu motiva. CXVIII. Hac vi ordinis divini: NUMEN, NATURA, SENSUS, JUDICIUM, VOLUNTAS. Ubi sensum in medio vides, cognoscendi principium: et voluntatem opposité in summo, velut nostrum intus numen. CXX. At Judicium et Voluntas: id est, Consensus et Assensus. CXV, 6. CXIX, 4.

5. Ille verò JUDICII consensus, non in suo formali ratiocinio, quo nonnisi reluditur dati datum etsi paullo evidentius, at quo tamen usque omnis erratur error; sed in suo reali aestimio, seu actuali ratione TANTI.

Digitized by Google

Id est, non in syllogismô; sed in archimetro, in ipsius igitur judicii divinitus verâ formâ, quia indefinitum seu vagum datur actu nihil. XXXIII-IV. LXVI. Et illam tamen judicii divinitus veram formam, archimetron primae determinationis, actualem rationem TANTI, seu pantomathesin, ideo scholae ignorant altissimè, quia nihil usquam inveniunt realiter, sed inventa repetunt formaliter: non rogant docili analysi, UNDE? UNDE? sed cuncta sibi arrogant doctoriâ synthesi: ponunt et imponunt, quasi non a DATO, sed a SESE: nec rationem TANTI ac TOTIUS divinam putant, sed suam. En igitur stulta superbia brutescit: ac demum, in isto ratiocinio syllogismi, nonnisi resomniando RUMINAT scholarum venerabile pecus DATI data ea, quae judicii ratio vera et viva, seu mathesis actualium divina, primitus dedit. Adeo ut nil sit ratiocinium, nisi rationis umbrâ: qua saltem repraesentatur id, quod in Datò datur: CXI, 5. At quam umbram tamen usque captant ixiones barbatuli, dum aeternò recurrunt puerilem gyrum, a mente pol amentissimè putantes, iter illud quia faciunt, etiam se viam facere, CXXV, 4: a DATO esse a priori: a memoriâ esse a SESE: et, quia ipsi analyticè nihil inveniunt, omnia inventa esse

Digitized by Google

magicé creata intus. Hi enim visionarii omnia inventa nonnisi ṡynthetice resomniant: sua objecta unde intelligant, nesciunt: et Metaphysicam demum sibi fingunt velut vaccam pro MINERVA, quae quidquid ruminat, id putat habere a SESE.

6. Nec tamen in ipso illo identismo, quantumlibet absoluto, vel minimum a ratiocinantis mente — concluditur, demonstratur, deducitur, evincitur, infertur; sed in Dato ATTENDITUR ita esse, ATTENDITUR etiam illa ratio identica, illa mathesis vel totius partisque vel partium totiusque. XXXIV. CX, 4-7. Ergo primitivum attentionis illud, TANTUM dati, divinitus realem constituit judicii rationem; et secundarium hoc hujus DATI datum nonnisi umbraticè reluditur. Nam unde vel nomen intelligis nominati? unde signationem signi? unde idem ejusdem? VI. CVIII-XI. Nec ipse identismus intelligitur, ni FACTUM hoc attendas: idem tibi dari datum. XXXIV.

7. At sicubi attentioni jam data & partium & totius systasis innotuit; en illico putat fatuitas, nihil se computare in DATO, sed a SESE inferre. Etsi verbotenus plane idem sint — ratiocinatio et computatio: qua computatione nostrâ ecquid aliter infertur, quàm numerando numerus et metiendo

Digitized by Google

mensura? Nam non solummodo, idem esse idem, sed ubicunque necessariò ita ESSE, unde scis, ni tibi & illa ita ESSENDI necessitas in Dato innotuit? CX-XI. CXVI, 5. 6. Ipsum autem Datum seu ipsius ita essendi ESSE — divinitus nobis constare sensu, non humanitus fingi, patet. IV-VII. IX. CVIII-XI. CXIX, 4. Quid igitur? ex memoriâ vivâ Dati — nobis verum infertur omne: id est, ex reminiscentiâ ENTIS, non ex eminiscentiâ MENTIS: CXIX, 7. et vel in ipsâ identitate absolutum datur nihil, ideo quia non infertur sed attenditur, nec demonstratur si non observatur. — Eâdemque rationis mathesi actuali, Assensus demum verè rationalis erit: seu, decernendi voluntas ipsa erit RECTI vi rectrix. CXVIII, 5-8.

8. Jam verò judicandi illa RATIO, seu aestimationis mathematicae illa divinitus edocta probitas, ad sciendum cuncta recognoscit — et in ipsius Dati primo indicio quaerit severè: QUID est hoc? in judicio: UNDE scis illud? in officio demum suo: QUANTUM ergo? XXIX. XXX. etc. LXII. CXXXI, 4. Nullum autem dabile Dati momentum erit, quod indaginem effugiat istius repetendi et usque instantioris: QUID? UNDE? QUANTUM ergo? Et haec tam severa aestimatio tota quid est, nisi pantomathesis?

Digitized by Google

Sine qua omnis quaerendi methodus erit vaga et vana. CV.

9. At ita demum, posteaquam tibi MOMENTA sunt actu & data & rata omnia; jam a minori tende ad majus, a minimo ad maximum; in actuali archimetro. CXXII.

§. CXXXII.

„Quid autem verè sit MAJUS, in actuali rerum archimetro, id mihi unicè quaeritur."

Vidimus in analysi — extimè summum illud, seu metaphysicè transcendens, actu esse minimum; et in synthesi — intus imum seu TOTIUS physicè descendens illud verè primum, actu esse maximum. CI, 3. 4. CXI, 4. CXII, 6. CXXV. Unde superius erit ubique minus: interius autem, quò abditius, eò majus.

2. Primò igitur compara ejusdem objecti
exterius, et interius:
altius, et profundius:
prostantius, et praestantius:
patentius, et potentius:
speciem, et vim:
ideale, et reale. VI.

Ac SUMMUM en palam, sicuti minimum inchoat maximum, ita nonnisi leviter inchoat scientiam omnem. XXXIII, 6. LXXXI, 6. CXI-XII.

Digitized by Google

5. Hinc in actuali SUMMITATE e. g. vel Orientis vel Occidentis eâ stupendâ: in magno Mogule ét in Pontifice maximo: en SUMMI vanitas maximè dilucet.

Nam in MOGULE miracula illa summa: diadema coruscum, trabea purpurea, sceptrum eburneum, aureus thronus: nil sunt nisi ludus. Sed hoc intimum: quantum sapiat ille deus? id minimum videtur, et est maximum. Quin & circa eundem, in satellitum horridè fulguranti catervâ, illi stricti mille GLADII — nil sunt nisi ludus: at gladios quis regit? lacertus: lacertos? animus: animos? idea. Haec igitur idea intus minima videtur, et est maxima. Adeo, ut Orientem, tam titanicâ tyrannide cónterritum, nil actu regat, nisi mentis amens idea.

Itidemque in PAPA — miracula illa summa: triplex diadema, seraphica trabea, claves & caeli & inferni, sedes catholica velut Universi, eique pedem osculantes tot ingentes monarchae: nil sunt nisi ludus. Sed hoc intimum: unde — nobis ille mortalium deorum deus? id minimum videtur, et est maximum. Quin & circa eundem, in cardinalium, episcoporum, abatumque catervâ, ecquidnam viros tam venerabiles, tam augustos, in terram curvat? mentis amens idea.

Digitized by Google

4. Et illa IDEA tandem — nil est, nisi quaedam SUMMI species: in similitudinum isto illucente quidem sed illudente mundo. LXXV. Ita enim & in Jove olympico, ejusque horribili cultu, illud SUMMUM adoratae potentiae erat — idea fulminis: idea, non a sensu physicè vera, sed metaphysicè a mente amens. VIII. XVI. LXXVIII. LXXIX, 4. XCIII - VII.

5. Ergo non ideales vires nunc a mente amenter mentiri, sed reales potentias in reali toto metiri volumus, ex hoc principio: Quidquid ad totum plus faciat, id esse MAJUS.

Nihil enim esse poterit MAJUS, nisi relatè: jam & relatorum magnitudo itidem, nisi relatè, aestimari nequit: adeo, ut norma demum normarum omnium sit ubique TOTUM. At verò TOTUM quaerimus divinitus verum: seu, illud actuale MAXIMUM unitae potentiae.

6. Nec ipso actu destruens ulla vis in rerum Naturâ datur; sed intenditur omne agens unicè in suae actionis TOTUM quantumpote maximum. Quin palam, ipsius VITAE mundanae aurâ validiori afflatur mors: sicut nonnisi altiori melo depressior perit sensim tonus in moriendo. Ergo ad TOTUM ubivis, totorumque TOTUM, quantum

quidque faciat si quaeris; tu inde, judicio divinitus vero, MAJUS ac praestantius aestimare poteris.

7. Nunquam enim, nisi abstractione amentissimâ, FINIS ullus cogitatur aliter, quàm IN suo toto et PER suum totum. LXXXV, 9.

8. At quousque furat, sine TOTIUS ullâ ratione, mens; mirum tamen est, quanta sit & erroris & sceleris impotentia. VIII. XVI. Nam hercle fanaticâ visione PHANTASIAE nullum non prodigium effici videmus; at infinities tamen PLUS, ipsaque demum Phantasia tota, actu efficitur NATURAE. Et mentali somnio ruit usque Opinionum furor; at, in sensuum hac divinâ luce, en tamen aeternò sibi constat harmonia SCIENTIAE CXIX, 8. 9.

9. Quin & in praxi non aliter: belligerantis amentiae diritas illa cruenta, velut vis tota tartari, tandem en prope nihil efficit; sed vel minimum harmonicae rationis condidit & humanum genus & orbem terrarum hunc, condidit & rura & regna.

Ac palam ad incendium ingentis urbis, majori quanam vi opus habet nebulo, quàm puerculus ad incendium unius plumulae? Itaque per istius barbarae levitatis facilem transcendentiam & deciditur theoreticè & de-ciditur practicè: abstrahitur abstrahens:

Digitized by Google

tenditque rapido raptu mens amens ad suum & VERI & BONI summum illud NIHIL. XXXIX. XLIV, 6. XC. XCI. CXII.

§. CXXXIII.

„Jam igitur MAJUS ac praestantius hoc tuum actu videamus.“

Id est: ad TOTUM quidquid plus faciat, id jam videamus in mathesi actualium divinâ.

2. Est autem in omni systasi MAJUS illud — intensius versùs interiora et primam causam: extensius — versùs exteriora et ultimum effectum: sed in eâdem reali magnitudine continuatur. Nec tamen extensissimum idem est ac extimum. Nam extensissimum refertur in TOTO suo ad idem illud intensissimum PRIMUM, quod extenditur: sicut in archimetro Vanescentiae — ALITER illud ad NUMINIS demum nutum. CXXII, 6. Sed extimum — est ipsius extensissimi per se visa species ac verè minimi minimum, seu, illud SUMMUM transcendentale, eò sanè purius, quò inanius. CXI.

3. Ergo, in systasi cujuscunque TOTIUS, quò quid erit superius — eò minus: et quò interius — eò majus. CXXXII. e. g.

4. In hoc HOROLOGIO minutulo, actualiter toto, & summum & minimum est illa

I. theca mirè splendida: sed majus
II. gnomon: sed majus
III. machina: sed majus
IV. elastron: sed maximum
V. METRON.

Quo metro & ratio totius, & vis divinior ea, sibi constat, seu, horologii & essentia & potentia. At summum econtra summae istius thecae decus — imponit quidem horologio illud, quod admiramur, summè pol magnificum, sed in hoc toto minimè magnum: qua ipsâ MAGNIFICI et MAGNI oppositione intelligitur omnis Impostura. Reliqua item, sine METRO, quàm possent amenter concogitari, patet. XLIV. LXIII. CXXV.

5. Nec aliter in REPUBLICA — & summum & minimum est ipsa

I. gloria: sed majus
II. ordo ille conspicuus: sed majus
III. actuositas tota civium: sed majus
IV. regimen: sed maximum
V. RECTUM, sine quo regitur nihil.

Quam systasin cum illâ horologii compara: RECTUM cum illo METRO: regimen cum elastro: actuositatem cum illâ machinâ: ordinum ordinem cum gnomone: gloriaeque demum imposturam cum istius thecae magnificentiâ sine magnitudine.

Digitized by Google

6. Vides itaque heic, non in ideali thesi et synthesi putari, sed in reali stasi et systasi computari, quidquid cuivis quaeritur. Si modò stasin quaestionis datam, seu, magnitudinem unicè illam de qua quaeritur, attendas.

7. Nam rempublicam non constitutam sed constituendam si meditaris; in singulo tamen HOMINE — ejusdem systaseos idem archimetron invenies. Nimirum singuli hominis & summum & minimum erit

I. opinio de suâ potentiâ: sed majus
II. evidentia facultatum: sed majus
III. sollertia ejus universa: sed majus
IV. moderamen sui: sed maximum
V. ipse MODUS, illa nota ratio TANTI ac TOTIUS seu scientia κατ᾽ ἐξοχην.

8. Hinc in systasi scientiae ipsius, in archimetro cyclopaediae universae, verè maximam esse statuimus — rationem TOTIUS, sive harmoniam.

9. Nam humanae SCIENTIAE magnum quiddam est

I. φυσικον in re: sed majus
II. τεχνικον in opere, vim vi moderans: sed maximum
III. ἁρμονικον in toto, quo illa vis & naturae & artis unitur ad salutem. Nec est enim salus ulla nisi TOTIUS.

Digitized by Google

Unde illa tria summa genera scientiae humanae, distincta solo gradu, nempe: rei, operis, totius — Natura, Ars, Salus. c, 3. 4. cvi, 6. cvii.

§. CXXXIV.

„Jam igitur, in hoc archimetro minimi ad maximum, ecquam divinitus datam videbimus ac veram scientiae humanae cyclopaediam?"

Universalem nunc vidimus; sed & singularem eâdem archimetriae methodo quaerere licet.

2. At primò tamen illud videtur mirabile: ex ipso inscitiae humanae chao vulgarem scientiae cyclopaediam oriri potuisse, Naturae non parum harmonam.

Nam certè in SCIENDO quisque omnium primò

I. objecta & signat sibi & significat aliis, unde ars magna signi seu PHILOLOGIA:
II. tum etiam ab aliis itidem signata et significata discit sensim, unde omnis omnino HISTORIA:
III. hoc universum cognitum jam in systema sibi facillimum redigere conatur, unde PHILOSOPHIA:
IV. cui conamini subvenit illico & dimensio magnitudinis & numerata

Digitized by Google

series, seu evidentior quanti ratio, unde MATHESIS:

v. sed vis rerum viva multò potentiùs excitat et urgit, hac unicè agitur et agit, ita ut ei sensim innotescat systema interius causae et causati seu modus efficiendi verus, unde PHYSICA et artium universa praxis:

vi. ex actu autem illo Naturae mirè vario semper oboritur voluptas ac dolor, saepe oboritur vitae salus mortisque discrimen, unde MEDICINA:

vii. at activitatis humanae regimen totum lege sollenni statuere ac sancire necessitas jubet, unde JURISPRUDENTIA:

viii. et quae sunt sancita, ea demum sancta reddit ipsius panharmoniae divinae ratio altissima, unde vera THEOLOGIA.

Etsi verò scientiae vis eminentior e. g. summi oratoris — imè inchoatur, ad superiora tamen et SUMMUM ascendit.

5. „Miror sanè, adeo palam in Arte latere Naturam.“

At vulgarem tamen cyclopaediam equidem illustrare volui; non autem approbare.

Digitized by Google

Nam, vaga nimis, nil discernit verè: ni tu archimetricè jam antea sapias.

4. „Et archimetricam igitur da cyclopaediam.“

In mundo primitus illucente et illudente vagae SIMILITUDINIS: LXXV-IX. LXXXIV.

I. omnium primò etiam infans dati Objecti nonnihilitatem, speciem vagè summam, formam universaliorem, noscit et notat, sibique suam signat ontologiam cum identitatis logicâ transcendentali, unde μεταφυσικον illud et METAPHYSICA, seu sublime studium humanae INFANTIAE: CXI, 6.

II. dein puer mirè in rerum variâ formâ ludit, unumque repraesentat per aliud analogicè, non enim jam solam is morphosin tentat languidulus infans sed metamorphosin alacrior, nec unitatem Naturae stupet sed jam & varietatem vividè amat, unde παραφυσικον illud et POËSIS, seu sublime studium humanae PUERITIAE: LXXX. XCIV-V.

III. sensim per hoc tyrocinium sapit, et quae illudia lusit, ea jam seriò simulat, dum quamlibet agit personam ritè ac decorè, quin dum illusor

Digitized by Google

demum illusus ipse illudia sua consecrat et iisdem fanaticè jam & capitur & rapitur, in omnem omnis fictionis factionem, unde αντιφυσικον illud et POLITICUM, seu sublime studium humanae JUVENTAE. LXXXIII. XCVI.

Et supra ista rudimenta — nunquam attollere sese potuit mortalium illa mens amens. XCVII. CXII, 7.

5. At VIRUM tamen usque, non fanaticum juvenem, Natura meditatur. Quatenus igitur quisque VIR verè fieri possit, eatenus divinam rationem TANTI usque ad maximum & in essendo & ad essendum observat, dum ubique primò

I. naturam REI, seu entitatem Objecti realem, divinitus attendit, ut omnis illico vanescat illusio et cuicunque ideae, voculae, signo suus constet per veri speciminis verum sensum intellectus verus, unde φυσικον illud ejusque axioma,

Nisi physicè nihil intelligi:

II. tum objecta sibi utiliora ultro experitur, ut sui sensim discat OPERIS artem et modum efficiendi calleat per ipsam genuinam historiam

Digitized by Google

experimenti, unde τεχνικον illud ejusque axioma,

Nisi technicè nihil effici:

III. tandem, per melius meliusque, rationem edoctus TOTIUS, et ubique meditans evidentiam OPTIMI, jam non divinitus modò sed divinè sapit, unde ἁρμονικον illud ejusque axioma,

Nisi harmonicè nulla salus.

En uno conspectu, in utraque hàc triade, archimetron & VAGI & CERTI: & Erroris & Veri: & Phantasiae & Naturae. C, 3. 4. CVI, 6. CVII, 7. 8. CXIV.

§. SCIENTIAM igitur generatim versari videmus

I. aut circa rem divinam, seu NATURALE:

II. aut circa opus humanum, seu ARTIFICIALE:

III. aut circa utriusque harmoniam, seu MORALE.

In ordine naturali ponitur actu esse quidquid est: in ordine artificiali componitur actu res rei et vis vi, unde Naturam vincere Ars videtur: in ordine morali disponitur actu optimè omne, id quod est scientia scientiarum et artium ars, nec efficitur nisi ratione harmonicâ TOTIUS. In qua ratione

Digitized by Google

demum unitur Naturae homo et homini Natura, ipsaque vis & rei & operis, vis & humana & divina, in unum salutis melos concinit. Ideoque ipso actu aliud nil esse MORALE comperitur, quàm HARMONICUM; quàm verè salutare, seu rationale TOTIUS; ubique igitur illud unum, unum harmoniae BENE, quatenus BENE. CXX, 9. CXXI, 4. CXXIII, 5. 6. Ni cacodaemonicè opponas & Naturae & Arti & Saluti MORALE fanaticum, tu mille mundorum ruinam ridens. CI, 7.

7. Est autem SCIENTIA illa genuina ubique nota ratio tanti ac totius, id est, mathesis. CXXXI. Et haec igitur mathesis erit vel Naturae, vel Artis, vel Salutis. C, 3. 4.

Mathesi Naturae continetur quidquid usquam dicatur φυσικον, & visibile & invisibile universum: mathesi Artis, quidquid usquam dicatur τεχνικον, in actione humanâ omni: mathesi Salutis, quidquid usquam dicatur ἁρμονικον, seu rationale TOTIUS.

8. Ubi verò notandum: heic nil distingui nisi gradu, velut minimum medium maximum RATIONIS divinae. τεχνικον oritur, ubi vel minimum incipit actionis humanae: si vel in solà methodo veri et boni: nil enim agitur nisi arte, quantumlibet rudi. ἁρμονικον oritur, ubi vel minima computatur salus TOTIUS: quae nonnisi

vagè putatur vulgò. Est autem salus TOTIUS ubique — ipsa rationum RATIO ac divinitus viva LEX. Nisi enim TOTIUS nullam dari salutem: nisi harmoniae nullum dari BENE: vidimus. Et quid igitur sunt ordines hi scientiae universae aliud, quàm PERITUM, PERITIUS, PERITISSIMUM? Unde nec alios videmus nebulones, quàm imperitiae suae: et imperitiae verissimè, etsi non rarò summo cum ingenio, sed eatenus ferino. XXXVIII. LXIII-IV. LV, 6. LXXII, 3. CI-III. Id quod ex omni demum historiâ orbisterrarum dilucet.

9. „At in hac Naturae, Artis, Salutis universo ambitu — HISTORIAM illam omnisciam non invenio.“

Repeti posse a quolibet inde aevo cujuslibet rei fata, nonne patet? Unde ipsius historiae habemus historiam. Haec igitur historia nil est nisi CHRONICON. Ideoque tibi jam cogita chronicon Naturae, Artis, Salutis. Et hoc ipsum chronicon Salutis humanae — esset verè ac severè historia civilis. CI, 8.

„Historiam ergo rei a scientiâ rei non distinguis?“

Distinguo, sed non separo, illustrationem a re illustrandâ. Nam res actuales

Digitized by Google

quatenus non illustret omnis historia, eatenus commentum erit potiùs quàm commentatio, seu fabula potiùs quàm historia. Quin & Scientiae & Artes ipsae nil erunt aliud, quàm vel sublimiora somnia vel ingeniosiora ludibria, nisi eatenus, quatenus ope suâ constituant rationem illam totam Salutis.

§. CXXXV.

„Et in illâ cyclopaediâ igitur divinitus verà, jam a *φυσικῳ* ut inchoëmus, per archimètron minimi usque ad maximum, quidnam ipsum erit **initium** scientiae humanae?"

Quid? nisi RATIONIS ipsius initium: scientia simplicissimè: determinatio TANTI. Est enim TANTI signatio illa, seu primitiva determinatio et genuina **definitio**, id, cujus vi divinitus datum omne fit actu nobis **hoc** vel **illud** seu certum Objectum. Et illa certa notio DATI, illa primitiva determinatio, definitio, signatio **tanti** — quid est? nisi verissimè nativa **mathesis**. Nec tamen vulgaris haec, quantumlibet vel geometricè vel arithmeticè pura: ea enim nonnisi cultissimum genus est hujus primitivae DETERMINATIONIS, cujus vi & **datum** omne, & dati tota certitudo dabilis, jam **exstat**. Quid igitur? quaenam illa erit omnium prima scientia? nonne palam ipsa primitiva

Digitized by Google

DETERMINATIO entis divinitus dati, qua fiat HOC vel ILLUD: ipsa intellectio illa vera certae sensionis: ipsa physica signatio tanti, velut pantomathesis omnideterminans dati cujuscunque: illa igitur mathesis actualium divina, seu — ARCHIMETRIA. Nam tu primitus tibi TANTUM ni definias, in quocunque demum sensu, nil verè scis: et ne VAGUM quidem illud velut entis ens intelligere licet, aliter quàm umbrae summae summam speciem, ad NIHIL usque. Ita nec in Philologiâ, quantum quid significet? nec in Historiâ, quantum nobis constet? nec in Philosophiâ, quantum vel in essendo sit vel ad essendum esse debeat, vel omnino quantum scias? scire poteris; nisi per archimetricum illud TANTUM. Ergo: initium scientiae humanae esse pantomathesin primitivae determinationis, seu archimetriam TANTI: patet. Inde jam omnis & signatio & significatio DATI vera: inde illa & perceptionis conceptus & conceptuum constructio — in physico TANTO dati: inde & rerum omnis ideatio & idearum omnis realitas, utrinque certissima. II - XIII. XXXIII - IV. XLIX, 5, 7. CVIII. CX, 7. CXI, 2. CXII, 5. CXIV.

2. „At quid sit huic pantomathesi seu ARCHIMETRIAE proximum? id mihi non illico patere, miror."

Digitized by Google

Significatio gemina omnis: Quantumlibet sit ea significatio vel rudior vel sublimior: in GESTU, VOCE, FIGURA. Quae significatio primò divinitus fieri seu ipsà Naturae vi, patet. At in his tam variis, tamen unum redit usque: indicium: unde, quia divinatur interius, ubique *συμβολον*. Ergo significandi modum omnem vocare liceat SYMBOLICEN. Nam quidquid in pantomathesi sensus attentior signat, unde idea; id significatur per indicium quantumpote facillimum; at vel facillimum indicium divinanti videtur *συμβολον*. Hinc altior omnis *κρισις*, seu ipsa judicatio: quid indicatum sit verè? verè: & de facto & de jure. Adeo, ut in pantomathesi definiatur prima illa signatio seu intuitivè intellectus universus: et per symbolicen definiatur inde significatio quaecunque seu sermo universus. Idem enim esse criterium veri, eandem TANTI rationem, & in sensu & in indicio: & in idea & in symbolo: & in signato & in significato: id en olim, etiam vulgo mortalium, tam fuit evidens; ut & hyperboreorum *tal* & graecorum *λογος* & romanorum terminus — usque indicarit simul & rationem & orationem. At sophicè, poëticè, politicè: quantumlibet sublimiter, splendidè, sacrè: symbolicen tamen sine *κρισι*

Digitized by Google

nonnisi ludimus. Exactissimè verò symbolica pantomathesis — esset CHARACTERISTICE universalis: in qua sensus et indicium, idea et symbolum, signatio et significatio, ergo vera Philosophia et vera Philologia, unam illam praesentarent divinam rationem TANTI. CX, 7. CXII, 5. 9.

3. „Archimetriam praesentari per Symbolicen, et per utramque praesentari Naturam in suâ divinâ ratione TANTI, vidi: at quid ultra?"

PHYSIOGRAPHIA: seu, historia naturalis: cujus nunc initia vidimus. Nam & signatio prima TANTI & ejusdem significatio rem definiunt magis quàm describunt: etsi & suam quandam illico nativam historiolam rei verè praesentent. Sed EXPERTUM illud fiat expertius et plus plusque in re innotescat; jam & vulgò vocabitur ea rei plenior cognitio — historia. Sub qua celebrior notatio illa specierum omnium.

4. Patet igitur: ab ipsius Objecti vel minimâ signatione — historiam Naturae inchoari. Cujus tamen Objecti verum illud ALIQUID seu φυσικον jam divinitus erat datum. Nam φυσικον est illud ITA: a quo naturale studium incipit quaerere, an sit ita? et ἁϱμονικον est illa ratio TOTIUS, ad

Digitized by Google

quam, per τεχνικον, sensim studium omne tendit. IX. CXXXIV, 5.

5. „Haec omnia nativae esse videntur evidentiae. At physiographiae tamen istius universalitatem nondum video.“

Ergo tibi equidem significabo, QUANTUM actu ea historia signet: et ejus archimetriam symbolicam, seu omnem intellectum sermone, dabo. En enim illud nostrum archimetron — minimi usque ad maximum. In eo palam historia naturalis erit historia naturarum omnium, omnium: palamque attinget & Numen & nutum, & Soles & somnia. IV-VII. CXI-XII. CXIV, 3.

6. Adeo ut quidquid furtim abstraxerit mens, ad imposturam amentem suam, ad PHILOSOPHIAM, id jam naturalis fiat historia, non vigil somnium: tantum dati, non vagum vocabulum: scientia FACTI, non amentia FICTI. Etsi vera tamen usque maneat philosophia — in mathesi actualium divinâ, seu, in ipsâ archimetriâ. XXXIII, 5. XLVIII. CXIX, 7. CXII, 5.

Nam ens & superius & summum seu NUMEN: ens & interius & intimum seu ANIMA: omnipotentia in omni potentiâ: omnisque sapientia, justitia, suavitas, pulchritudo divina in hac Universi panharmoniâ: ea omnia tam naturaliter cognoscuntur —

Digitized by Google

quàm ubique MAJUS et MAXIMUM. Haec igitur altiora cur potiùs debeant somniari, quàm vivis ac videntibus agnosci, id non intelligitur nisi per scholarum illud mysterium magnum, stupiditatem earum barbaram. LXXXV-VII. CXXVIII.

7. At verò, sicut pantomathesis illa omnideterminans a minimo signabili ad maximum panharmoniae tendit; ita nec historia Naturae alios habet limites, sed ab umbrâ umbrae ad solem, et ab idea ideae ad vim vivam Numinis, continuatur. CXXVII, 7-9.

8. „Archimetriam, Symbolicen, Physiographiam: nempe, hujus divini UNIVERSI primam illam signationem, significationem, et historiam: jam discerno. Sed pol ultra haec nil video.“

Ergo-ne tu historiam rei esse putas totam rei scientiam? et descriptionem esse omnimodam rationem? Quin palam en, post aliqualem historiam Naturae, intenditur studium, usque ad cujusque dati omnem dabilem certitudinem: usque ad illam nobis notam rationem TOTIUS, seu scientiam κατ᾽ ἐξοχήν. CXXXI. Et in hoc altiori studio — jam itidem archimetricè minimum, perfectè cognitum, videamus: ac perfectè cognitum, in quantum dederit

Digitized by Google

humano numini Numen. CI, 4. 7. Post physiographiam igitur altiori illo studio innotuerunt haec summa genera:

I. Quantitas, in suâ ratione tanti certissimâ, unde GEOMETRIA:

II. Motus, cujuscunque datae potentiae, unde Physica generalis seu verè DYNAMICE:

III. Vis, illa intus efficiens, unde Physica specialis seu ENCRATIA:

IV. Usus, mirè varius, unde Physica specialissima seu OECONOMIA:

V. Imitamen demum humanum, unde τεχνικον, quatenus Naturae phaenomenon. Genuit enim artem Natura, vi doloris et delicii.

9. Quidquid autem in his Naturae momentis non videtur φυσικον, id nil erit nisi vagum vocabulum, eatenus mentale quatenus amens, ideo quia sine tanti ratione, id est, sine vero sensu. CXII, 5. CXIII. CXIV.

§. CXXXVI.

„Illud igitur φυσικον omne sat clarè mihi videor videre. Sed jam ad τεχνικον, in illo quinto momento Naturae, perveneramus."

Scientiae universae ordinem secundum Ars constituit. Artem verò, hinc notiorem,

Digitized by Google

illinc minutiorem, generatim designasse videtur satius.

2. Artium omnium ars, sive ubique modus efficiendi, est METHODUS. Unde patet: ipsius attentionis, seu sciendi, dari artem, ad exquisitissimam usque methodum: quam & saepe videas in levi tentamine, in singulo experimento. At METHODUM tamen, seu modum efficiendi, magis esse artium omnium vim divinam, quàm artem definitè primam, itidem patet. Nam propriè Artem denominat opus effectum, non modus efficiendi. Et, a minimo igitur & materiae & formae inchoans, Ars operando praestat

- I. Quanti variam formam, unde TYPICEN habemus universam:
- II. Motum varium datae potentiae, unde MECHANICEN ortam vides:
- III. Vim intus variam, unde propriè CHEMIA:
- IV. Usum varium, unde PANURGIA:
- V. Imitamen altius omne, unde THAUMASIA.

Nam ars est ipsa nil nisi imitatio eorum, quae naturaliter fieri videmus: ars autem κατ᾽ ἐξοχην semper dicitur imitationis altioris. Et infinitè haec imitatio patet:

Digitized by Google

a navi aërivagâ — ad minimum usque vulticulum mimi aut sensiculum voculae. Nec est admirabile quidquam ingenii, ubi non vim aliquam Naturae imitetur artifex.

3. Vides igitur palam heic, quomodo Naturam sequatur Ars et, rem rei vimque vi componendo, vincere studeat. Hinc transit ipsa scientia in METHODUM: geometria in typicen: dynamice in mechanicen: encratia in chemiam: oeconomia in panurgiam: imitatio in thaumasiam omnem.

§. CXXXVII.

„Ac demum ad ἁρμονικον, seu mathesin Salutis, accedimus.“

Id est: ad scientiae universae ordinem supremum: ad rationem, non TANTI modò, sed jam TOTIUS: ad illud FAS ubique divinum. Est enim Salus & Naturae & Artis dea: illa vera THEMIS veri Jovis antiquissima conjux.

2. At verò salus nulla elucet, nisi ex Naturâ et Arte totâ, maximè tamen ex Arte. Nam in Artis attentissimâ operatione — systasin tentamus possibilem omnem: atque systasin discimus tandem ubique seu rationem totius ipsamque harmoniam. CI, 7. CII, 3. CIII, 2.

Digitized by Google

3. Non igitur thesin et SYNTHESIN excogitamus mentis, ingenii, somnii, id est, vagae phantasiae: sed stasin et SYSTASIN attendimus veram Naturae, Artis, Salutis. Nec reale illud unum omnium BENE quaerimus in ecstasi humanae mentis, sed in stasi divini entis: seu, non in ecstasi FICTI, sed in stasi FACTI. CXV, 5. CXVIII, 6-8. CXX, CXXI. CXXIII, 5-9.

4. Ita demum ἁρμονικον ubique esse patet — illud, ad quod tendimus, maximum Naturae et Artis: illud maximum experti et experimenti, κατ᾽ εξοχην experientia: illud maximum scientiae, seu OPTIMI optima cognitio, κατ᾽ εξοχην sapientia: illud FAS ubique divinum: illud rationale TOTIUS, idem & in stasi & ad systasin, idem & IN essendo & AD essendum. XI. XII. CV, 3. CXIII.

5. Sed primò relatè — maximum illud heic dici, itidem patet: in quacunque systasi cujuscunque TOTIUS. Quò autem verè majus est quodcunque TOTUM, cujus harmonicam rationem observas; eò majus erit hujus observantiae illud MORALE, vel novo italorum sensu VIRTUOSUM, vel publico mundi sensu BENE AC BELLE. XI, XII. CXXI, 4. Adeo ut & minimum ἁρμονικον aeque sit morale. Atque, sicut in

Digitized by Google

amoris vel nutu vel suspiriolo: in pictoris vel tenuissimâ harmoge: in musici subitâ consonantiâ: in architecti etiam invisibili symmetriâ; ita ubique illud ἁρμονικον, illud morale seu virtuosum, saepe in minimis conspicitur maximè. CXXIII, 8. 9. CXXXIII, 4-9.

6. Ubicunque igitur quidquam bene fit ac bellè: seu, ad suum totum harmonicè: id virtuosum erit ac venustum, si vel in orco. XXXVIII, 4. 5. CXXIII, 5. Non datur enim nisi UNA vel Natura vel Ars vel Harmonia seu RATIO totius.

Unde quàm rudis verè sit erudita illa moralitas — officiorum perfectorum et imperfectorum, dilucet. Quasi diceres — RECTUM plus et minus rectum: seu, mathematicam RATIONEM plus et minus ratam. Nec hi, quia suo mentali somnio vagè sublimi ad summum demum OPORTET transcendant; ideo sunt minùs rudes. Nempe: transcendunt ad Nihil, dedignantes Omnia. XCI. CXI, 3. Et vocabulum inane captant ex VOCE harmonicâ UNIVERSI: sonum ex illo melo Numinis. CXXIII, 6.

Nam quid tandem actu OPORTET? ἁρμονικον ubique: seu, TOTIUS illa ratio divina. Nisi liberrimè tu et absolutè jam cacodaemonizas, mille mundorum altè ridens

rationem. XXII. L, 4. LXIII. LXXII, 5. 6. CII, 9. CIII.

7. Ἁρμονικον itaque illud, seu morale, virtuosum, verè salutare, BENE — nobis ubique unum ac idem est: ejusdem divinae RATIONIS: eâdemque mathematicâ sanctitate observandum. At κατ' εξοχην tamen ἁρμονικον adoratur TOTIUS divini seu Universi. Necessariâ enim progressione ascenditur ad rationum RATIONEM totorumque TOTUM. Id quod in archimetro HARMONIAE humanae, minimae mediae maximae, dilucet:

I. harmonia VITALIS, seu genuina salus:

II. harmonia SOCIALIS, quousque pateat:

III. harmonia TOTALIS, seu divina divini Totius, in qua Numini assentiat nostrum intus numen. XLII. CXX, 6-9. CXXI, 4.

Jam autem RECTUM nil esse nisi quatenus harmonicum, palam vidimus. Et in hoc regimine RECTI

I. harmoniam vitalem regit MEDICINA:

II. harmoniam socialem regit JURISPRUDENTIA:

III. harmoniam totalem regit THEOLOGIA.

Digitized by Google

Nam REGIMEN ubique aliud esse nil, quam ipsum harmoniae moderamen, dilucet: at illud moderamen quid? ratio divina minimi ad maximum, ratio divina TANTI ac TOTIUS.

8. In hoc igitur harmoniae humanae archimetro en, quò altius ascendis, eò major erit ea & vis & virtus, ea & salus & sapientia, qua potiris. Et quantae magnitudinis vel extensivae vel intensivae ubique sit ἁρμονικον, tantae MORALE illud ac virtuosum, seu BENE, actu esse videmus. Ex illo principio maximo: ad totum quidquid plus faciat, id MAJUS esse. CXXXII, 5. 6.

9. Adeo ut universale criterium VERI sit ratio divina TANTI, et universale criterium BONI sit ratio divina TOTIUS: utriusque autem criterium sit actu MAXIMUM: et ipsum demum studium utriusque — unus ille & scientiae & conscientiae rigor mathematicus. XXXVII. XLVII. L, 4. LXII, 3. LXIII, 6. CII-III.

§. CXXXVIII.

„Itaque, dum scientiae universae hos ordines remetior, jam philosophiam video, non transcendentalem, sed ascendentalem.“

A ratione divinâ TANTI ad rationem divinam TOTIUS, a minimo ad maximum, ascendere licet; sed transcendere

Digitized by Google

nae semper erit tentamen AMENTIAE. XC. XCI. CXII, 7. 8. Quo tentamine sophus vel amentissimus, captans NIHIL, dedignans OMNIA, in vocabulorum tamen haeret nubibus; aut, si altior quidam IXION ille, altissimam nubem en amplexatur purè pro JUNONE empiricâ, in tartaream ruiturus rotam sophicae amentiae, ubi nec procul vides & poëticae amentiae SALMONEOS & politicae amentiae TITANES. XV. LXXX. LXXXI. XCVI. CVI, 6.

Ω. „At in hoc tamen ascensu — prius illud suum posterius antecedit quidem, sed non efficit.“

Et prius illud si minus est, ecquid majus a minori efficitur? Nil a priori efficitur, sed a majori: a TOTIUS altioris altiori vi: quae vis altior quidquid agit, id a minimo ipsius effecti sui effici, pol amenter fingitur. Nec enim scintilla efficit incendium, nisi & IN TOTO & A TOTO potentiae mundanae: CXXV - VI. Ac palam igitur omnia omnipotens illud Numen efficit, a MAXIMO quidem potentiae suae, at vel in MINIMO, harmonicè. Quin & GIGNENS — genitum non efficit, sed excitat: et ex mille causis altioribus, usque ad causam omnino maximam TOTIUS, ea saepe minima, quam nos causam vocamus, nil est

Digitized by Google

nisi nova, subito in transitu, forma illius effectionis harmonicè divinae. Ergo nobis verè demum nulla causatio patet, sed sola propagatio. Et dicimus rectè quidem — inde FIT; sed non rectè — inde EFFICITUR.

3. Itaque in mundo primaevo, scientiae propago per archimetron indicatur quidem, sed non illa intus effectio, cujus latet altius causale systema. e. g. Ipsa NATURA I. genuit & opem & inopiam: II. inopia genuit significandi necessitatem: III. significandi necessitas genuit & gestum & vocis variationem & figurata indicia, ergo symbolicen rudiorem omnem. CXXXV, 2. En mundum humanae INFANTIAE. — Ipsa porro MOTUUM facilitas I. genuit rhythmum: II. rhythmus choream: III. chorea musicen rhythmipotentem: tum verò & SENSUUM facilitas I. genuit simile: II. simile poësin: III. poësis theatron. En mundum humanae PUERITIAE. — Ipsa PERICLITATIO genuit I. vim contra vim: II. vis doctior dolum: III. dolus doctissimus bellum: bellum I. in bruta: II. in praedia: III. in regna. En orbem summè politicum, en mundum humanae JUVENTAE. Et his compara intus illud sublime studium: CXXXIV, 4. Sensim tamen altior ATTENTIO

genuit I. rationem: II. ratio genuit rectum; seu harmonicum: III. rectum genuit regimen. En mundum demum humanae VIRILITATIS. At heic tu attende, quid sit gignere?

4. Nos igitur nunc, non MOTIONEM divini UNIVERSI indagamus, sed NOTIONEM humani STUDII dimetimur.

„Et hujus notionis tandem da conspectum unum.“

NOTIO VAGA:

μεταφυσικον,	παραφυσικον,	αντιφυσικον:
specie,	analogiâ,	auctoritate:
SIMILANS,	SIMILE,	SIMILACRUM:
mentis,	ingenii,	somnii:
φασις,	φασμα,	φαντασμα:

CXXXIV, 4.

NOTIO CERTA:

φυσικον, seu mathesis Naturae:

I. Signatio tanti, unde ARCHIMETRIA,

II. Significatio tanti, unde SYMBOLICE:

III. Descriptio rei, unde PHYSIOGRAPHIA: ad chronicon usque:

tum genera illa κατ' εξοχην cognita:

I. Quantitas, unde GEOMETRIA, ex cujus continuo discreto — arithmetice;

II. Motus, unde DYNAMICE:

III. Vis intus, unde ENCRATIA;

IV. Usus, unde OECONOMIA:

V. Imitamen humanum, ipsius Naturae vi excitum, unde

τεχνικὸν, seu mathesis Artis, elucentis quidem in omni methodo seu nostro modo efficiendi, sed propriè tamen in opere, quo exstat

I. Quanti varia forma, per TYPICEN:

II. Motus varius, per MECHANICEN:

III. Vis intus varia, per CHEMIAM:

IV. Usus varius, per PANURGIAM:

V. Imitamen altius omne, per THAUMASIAM, ad summam usque artis elegantiam et sublimitatem: ubi verò vividiùs movet id, quod ex totâ & Naturâ & Arte sensim innotescit

ἁρμονικὸν, seu mathesis Salutis, in ipsâ ratione TOTIUS, unde RECTI regimen, cujus est minimum medium maximum:

I. harmonia vitalis, unde MEDICINA:

II. harmonia socialis, unde JURISPRUDENTIA:

III. harmonia totalis, unde THEOLOGIA.

CXXXV-VII.

5. Compositas autem disciplinas ad simplices reducito et species ad sua genera: e. g. logicen ad archimetriam: κρίσιν, et per crisin hyperphysicon illud vagè somniatum, ad symbolicen: cujuscunque rei descriptionem ad physiographiam: computum

omnem ad arithmeticen seu geometriam: applicatam illam mathesin, fere totam, ad dynamicen: physiologiam ad encratiam: politicen quatenus artem non simulacri, sed rei publicae, ad veram jurisprudentiam seu ἁρμονικον sociale: poësin, quatenus notionis vagae, ad παραφυσικον, et quatenus notionis certae, ad symbolicen, et quatenus artis, ad thaumasiam. Sic in ceteris. Nos enim, divinum secuti ordinem, inordinata nunc minùs curamus.

6. Gradu item distinctior dici poterit illa TANTI notio physica — scientia: notio technica — peritia: notio harmonica — sapientia. Et omnia computanti, a μεταφυσικῳ inde summo, en tibi momenta novemdecim, non hercle a me, sed velut divinitus datum, intelligentiae cyclum.

7. Tendit verò haec mathesis universà cognitionis humanae ab ARCHIMETRIA ad THEOLOGIAM: a ratione TANTI ad rationem TOTIUS.

Cap. VII.

Theologia.

§. CXXXIX.

Omnem & JUDICII veri scientiam in observatione divinae rationis, & OFFICII veri conscientiam in observantiâ divinae rationis, contineri vidimus. XI. XII. Est autem divina ratio, θειος λογος, quid? ipsa evidentia TANTI AC TOTIUS, seu, quantum & ubique sit & ubique esse debeat. L, 4. Ergo sanctitatem dari aliam nullam patet, quàm illam RATIONIS seu mathematici rigoris. XLVII. LXII. LXIII, 6. CII. CXXIV, 4.

2. Sed κατ' εξοχην divina ratio, θειος λογος, innuit panharmoniam, illud Universi ἁρμονικον, illud essentiale BENE ac BELLE, illud Numinis melos, quo divinitus mota PIETAS assentit Deo et, eodem animata sensu erga omnia, idem vult & agendo & patiendo. XLII, 3. L, 2. 3. CXVIII, 6. 8. CXIX, 6-9. CXXVII, 9.

Digitized by Google

3. Haec igitur PIETAS, qua benedicit homo divinior & flori & astro, & nocti & fulmini: quia videt in minimo maximum, in imo summum, eandemque rationem aeternitatis et momentilli. CXX, 4. CXXIII, 5-9.

4. Hujus verò theologiae principium erit, non SEPARANS, sed UNIENS ac vel in dissonis consonum. Adeo, ut illius verae theologiae religio vera sit actuale panharmonion, actuale theomelos. Nec enim aliter ulla religio homines vagè dissipatos relegit, sed religat, carcerat, cruciat.

5. Ideo quaerit ubique suum vera theologia θειον λογον, rationem harmoniae divinam, seu: quid UNIENS? nam in UNIENTE sibi constat & vis & venustas omnis. Latet autem in omni contrario UNIENS: et, sicut voluntas omnis in optimum, ita & intellectus omnis in verissimum fertur, evidenti necessitate. e. g. Qui regem vult et qui non vult, tamen uterque divinè sentit: vult enim ille et non vult hic, eo sensu, quo velle et non velle est actu optimum. Ita & RECTI eudaemoniam aut cacodaemoniam qui agitant, ipso tamen actu en uniuntur — in harmonicâ ratione TOTIUS, qua moderamen & doloris & voluptatis imperatur ad Salutem. Atque is demum, qui Deum vel tollit vel

fingit, aut Deum vel inanem putat, vel omniformem, tamen id semper statuit eo sensu, quo est verissimum: dum anthropomorphismum ille vitare, pantheismum hic vivum adorare, studet. Quin omnes vesanas fabulas qui credit, ipse tamen rectè sentit intus, per hunc θειον λογον: QUANTUM SCIO: quem λογον vera theologia sanctè notat, λογον, non tolerantiae stultè simulatae terriculam, sed justitiae panharmonicae legem divinam.

§. 6. Quid igitur? nunquam erratur, nisi vagè. Intendunt enim, usque et ubique, mortales omnes & OPTIMUM & VERISSIMUM. Sentiunt & divinitus & divinè: ac semper eo sensu, quo est quidque & optimum & verissimum: simodò, quid verè sentiant, attendas. Ergo tu, QUO SENSU ita statuant? semper quaere: et en tibi nulla contraria in θειω λογω, sed ubique UNIENS divinum ac medium harmonicum in eo, quod quisque verè sentit, etsi parum saepe videat id, quod intus ac divinitus ille suus intendit animus.

§. 7. Atque is θειος λογος harmonici medii — erit mediator ille aeternus aeternae religionis. Medium enim harmonicum en: est ubique illud OPTIMUM MAXIMUM, quod omnes maximè optant. Unde verum

veri theologi munus erit, hanc panharmoniam intelligentiae humanae; hanc mediationem OPTIMI MAXIMI, quod omnes intendunt, et quo κατ' ἐξοχην Deus revelatur, in sui λογȣ vivo verbo seu reali ratione: hanc igitur intimam omnium religionum religionem, qua possit humanitas vagè dissipata relegi: hanc patefacere et usque magis illustrare.

Ita θειος λογος illud medii harmonici OPTIMUM MAXIMUM, quod suo vero sensu, intus ac divinitus, omnes maximè optant, palam statuit: velut, in ipso Naturae templo, aeternum altare ipsius Dei optimi maximi: unde per vivam conscientiam ejusdem SUMMI BONI, quod omnes intendunt, oritur animorum theomelos, oritur illa homines dios, at vagè, miserè dissipatos, tandem relegens religio. Et erit igitur theologus — mortalium ubique conciliator, αγγελος verè caeli, ostendens & dissensionis tartara & harmoniae beatitudinem.

8. At universale dogma, etiam inde, oritur hoc: MUNDUS OPTIMUS; nempe, & quòd sit & ut sit optimus. Quòd sit: id ex ipsâ mathematicâ ratione TOTIUS elucet. Nam ubi minus a majori et vel minimum denique a maximo conformatur; illic necessariò cuncta erunt ordinatissima; illic nec

aurula volitat nisi lege harmonicâ potentiae altioris; nil igitur nisi nutu Numinis. Ut sit optimus ille mundus, etiàm nobis, erit ideo adoranda lex harmonica altioris potentiae, id est, altioris UNIONIS, qua omnis unicè oritur potentia: UNIONIS vèrò — & cum Numine, ut idem velis, nec enim intus datur alia libertas quàm necessitatem velle, & cum Naturâ in omni constantiori suavitate, & cum Hominibus in sociatione optimâ. Atque optimâ: nunquam enim theologus mortales uniet per BONUM simpliciter, cujus ést illa tam infinitè varia voluptas: neque per MELIUS comparatè, cujus est illa tam infinitè varia gloria: sed unicè per OPTIMUM, quod omnes intendunt, omnes adorant, et cujus est ubique illa ratio unica, ille θειος λογος omnia uniens, illud maximum ipsius Dei Optimi Maximi & in actu vario Naturae & in sensu vario Humanitatis. CXXIII, 2. Et hoc igitur OPTIMUM MAXIMUM, sancto spiritu animans, verbum erit vivum vivi Dei.

9. En harmoniam totalem: ejusque principium divinum theologici, non odii, sed amoris. En verum verae theologiae OBJECTUM.

„Video: at simul id palam video, nullam unquam exstitisse inter doctos THEOLOGIAM, ideoque inter indoctos fere nullam exstitisse RELIGIONEM.“

Digitized by Google

Cap. VII.

Jurisprudentia.

§. CXL.

Sed hanc harmoniam, quam statuit vera theologia, eam CONSTITUIT vera jurisprudentia: ita, ut illud theomelos fiat nobis theonomos, et ipsa ratio harmonica TOTIUS fiat actualis theonomia seu justitiae nativae FAS divinum.

2. Nam est legis essentia jus: et juris essentia ratio: et rationis essentia TANTUM, & IN essendo & AD essendum, & Facti & Faciendi. Quo TANTO constat illa mathesis actualium divina: et cujus TANTI rigor est maximus. Adeo, ut IN essendo TANTI ratio seu veritas, et AD essendum TANTI ratio seu lex, aeque sit divinitus necessaria. CXXXVII, 9.

3. Jam ad hanc divinam rationem quid moderatur theonomia? non vagas ideas, sed vivas vires: non ergo vagâ ideâ moderatur, sed altiori vi.

Digitized by Google

4. „Et nonnisi moderatur tamen?"
Cur verò? vis ferina et vis divina — nonne vis tamen? ferociam leonis et fortitudinem herois tu-ne genere an gradu, impêtu an ratione, distinguis? Itaque nil refractarium confringitur; sed naturaliter ferum fit mansuetum, rude fit mollius, barbarum fit humanum. At — altiori vi.

5. Nam in rerum Naturâ nil fit nisi vi, et vi altiori: nil nisi COACTIONE vel suavi vel gravi.

Libertatem enim aliud esse nil, quàm ipsam inscientiam RATIONIS & hujus, qua quis actu regitur, & ejus, qua si saperet regeretur necessariò ad salutem: inde verò, quò stultius, eò liberius, quidquid agitur, videri: id jam constat.. CXVI-VIII.

6. Et purè POSITIVUM igitur omne a mente amenter fingi patet ideo, quia nulla rerum vel minima aut vis aut proportio a nobis ponitur; sed observatur verè ac severè. Ni quis, quia liberum videtur, malit furere. CIII.

7. Quin actu HARMONIA ne cogitari quidem usquam ulla poterit — sine suâ vel in minimis coactione. Ita, ut in omni demum cujuscunque harmoniae ratione: qua mollescere cogitur ipsa dissonantia domita in melos: necessitas illa divina AMOTI dilucéat.

Digitized by Google

8. Ergo TOTUM si homines velint, TANTUM etiam, seu mathematicam quamcunque rationem totius, velint necessariò: TANTUM verò, cujus est, & IN essendo & AD essendum, seu in totâ mathesi actualium divinâ, ille rigor maximus.

Qui tamen rigor maximus est barbarae omni ferociae maximè contrarius: barbaramque ferociam caſtigat: non barbarè ac ferociter: sed harmonicè ac theonomicè: eâ legum lege, ut quampote minimum destruatur et quampote maximum conservetur.

§. CXLI.

„Eâ legum lege, ut quampote minimum destruatur et quampote maximum conservetur. Et quomodo?"

Ita palam, ut nil sit PRAEMIUM et POENA nisi MAJUS et MINUS unius harmoniae: ergo nil nisi humanae GRADATIONIS et DEGRADATIONIS, dignitatis et indignitatis, mathematica RATIO.

Sed humana, humana gradatio et degradatio: ut nihil supra hominem, nihil infra hominem, statuatur. LIX. LXXXV. CXXIII. Et ratio, ratio horum graduum: ut divinum illud TANTUM, & IN essendo & AD essendum, sanctissimè observetur.

2. Nam actu quid esse videmus regiminis regulam omnium primam?

Digitized by Google

SCALAM divinitus rationalem virtutum ac vitiorum: id est, mathesin virium conservatricium ac destruentium, in harmoniâ totius. Ita ut ex agentis nec affectu nec effectu, utroque saepe in pessimis optimo, in optimis pessimo; sed ex ipsius actionis perpetuâ vi; fiat comparatio.

3. Et per hanc aestimationem en, quia hominis dia membra nil unquam delinquunt, ideo patet, humanam & naturam & formam esse sacrosanctam. Nec igitur minùs barbaro ludibrio compensatur deliciis, quàm punitur torturis.

4. „At pessimos tamen esse pessimè tractandos, id nonne ex ipsius harmoniae divinâ ratione patet?"

O cur & homines esse humanè tractandos, itidem non vides? An igitur, quia bruta humanè tractamus, ideo homines brutaliter tractare deceat? Quin omnino: homines etiam pessimos in optimâ servitute esse humanè servandos, patet ideo, quia malus nemo est nisi culpâ bonorum.

5. „Malus nemo nisi culpâ bonorum?"

MALUS NEMO NISI CULPA BONORUM. Nam si malus vitio errat indolis, en boni cur nil cavent? si neglectu pravitas invaluit, nae id quod brutescere sinitur, divino fato brutescit. Et palam: de dambo

poſſibili si boni non cavent malis, neutiquam hercle mali cavebunt bonis. Nec a stultis quidquam negligitur; sed a sapientibus. Illis enim nulla cura, nullum regimen: his igitur omnis & incuria & culpa.

6. Ita si fame et infamiâ plebs tandem facta sit canina; jam divino fato & rapit & rabit. Si amenti superbiâ usque transcendere liceat honoratiorum turmae; en demum nihil non spernet. Si gliscere sinatur & clam injuria & palam stultitia; nihil tutum erit. Et ipsa TUTISSIMI ratio, seu maximi & veri & boni, si negligitur; totum subminatur illico ruinam. Quin divus JULIUS, etiam heroicè contra fidem audens, per heroicè infidos periit. LXXI.

7. Sed hanc totius diviniorem curam, hanc providentiam, hoc numen humanum, a malis malè, a stultis stultè, en exspectant etiamnunc boni et sapientes.

§. CXLII.

Quid igitur? OPTIMUM MAXIMUM intendunt omnes: sed mali malè, stulti stultè: at quisque tamen pro suo suae modo scientiae et virtutis. Nam in hoc divino Universo, sicut nihil EST sine veritate, ita nihil FIT sine virtute. Unde vel in latrone saepe miramur mentis altissimae

Digitized by Google

virtutem altissimam: in CARTOUCHEO et MANDRINO ipsius CAESARIS & ingenium & animum: at sine ratione TOTIUS eatenus, quatenus delinquitur, dum linquitur de TOTO & majus & maximum. XXXVIII, 5. XLV. CXXIII, 5. CXXIV.

2. Jam nec scientia datur nisi omnium graduum UNA; nec virtus, seu actu ipso vis harmonica, nisi EADEM illa & maxima & minima. Et suus cuique gradus est: in quo bellè sapit: ultra quem vagè furit. Ergo, sicut ultra gradum suae scientiae et virtutis mortalium quisque illico fit stultus et malus; ita & in gradu suo nullus non mortalium erit sapiens et bonus. Atque sine graduum hoc mathematico rigore nullum datur FAS divinum; sed barbaro jure sollennis amentiae publicè furitur; furitur eousque, ut in graviori causâ rarissimè possit ulla sententia non recta corrigi, quin ut in ipsa dia membra et sanctissimam naturam hominis belluino ludibrio saeviatur. LIX.

3. Inde in malis hominibus bene attenditur quantum delicti? sed pessimè negligitur quantum virtutis? id quod boni tamen religiosè observant in brutis. Bruta enim ii sua humanissimè colunt ac velut divino regimine tutantur, nec unquam eadem per cruciaminum tartarismos sine ullâ necessitate perdunt.

Digitized by Google

4. „O tu igitur necessitatem illam TERRORIS nullam putas?"

Non modò nullam, sed amentissimè fictam. Bonis enim terror ille maximus est, quia ritè considerant; at malis minimus, quia semper sunt extra sese aut mente levi nunquam cogitant poenam, sed EVASIONEM poenae. Nec igitur immensus ille bellorum procellarumque terror ullum terret militem et nautam: cui tamen tam vile positum periculi praemium. Nam vel minima abstractio mentis transcendit & rogos & regna. LXXII, 6. LXXXVI-VII. CII, 7. 8. CIII.

Terroris igitur theoriam nil esse nisi tartareum somnium palam vides & in orientis Japoniâ & in occidentis Britanniâ.

5. At econtra, ne libere brutescant homines, cave: redde homini dio dium HONOREM: et illam vagae mentis nunc barbaram transcendentiam en harmonicè mutatam in OPTIMI MAXIMI vivos amores.

6. „Et nulla igitur statuetur poena?"

Nulla stultè rabidi TERRORIS: quem intus ridet omne crimen, et quem dirum dirè punit per ipsa malorum crebra crimina ille animi humani DEUS. Sed poena divinitus vera DEGRADATIONUM. Quarum scena fieri possit publicè tragica ad animos commovendos, sub hac universali formulâ:

Digitized by Google

is homo hunc HUMANITATIS gradum perdidit. Nec ulla sacra concio nunc nisi umbraticè invehit in crimina sine sollenni repraesentatione criminosorum vivè tragicâ.

7. Ceterùm verò, & ii homines in gradu suo boni sunt et eatenus divini: sicut ultra suum gradum quisque fit illico malus et eatenus tartaricè vagans cacodaemon. Ac talis bonus infligit malis malum, quod, etiamsi esset iniquissimum, tamen aeternò manet. Spernit enim is divinam cautionem: DECERNENDUM NIL, QUOD MINUS RECTUM NON POSSIT CORRIGI. LIX.

Itaque demum tu contra bonos, contra bonos, omnis malitiae et stultitiae veros auctores, invehe: quibus mandavit ille DEUS O. M. tutelam & malorum & stultorum, et qui blando vultu frigidè produnt causam Dei, id est, causam OPTIMI MAXIMI. Ii unicè videntes periculum, tamen nihil cavent; sed suaviter aspectant ruinam, impietate piâ. Ii & judices consecrant formularios, id est, theatricas machinas, & tribunalia velut delphica oracula delphicae probitatis: non ARBITROS autem illius antiquae simplicitatis, id est, non optimos maximos. Et ii igitur boni, malis palam pejores, siquidem suo neglectu ipsos perditores perdiderint, ii quomodo regimen curarent ullum RECTI?

Digitized by Google

8. Cujus tamen regiminis rudimentum voluerunt prisci Gothi: qui non mercenariis stultè mandabant boni publici aestimationem. Ita enim sanciebant. — De damno possibili nobis cavebit: I. HERUS quisque pro iis, quos familiae suae esse vult, nam unus is eos nosse poterit: II. DECURIA herorum pro hero unoquoque, nam ii eum optimè nosse poterunt: III. CENTURIA herorum pro decuriâ quavis, nam eam decuriam, itidem ac decuria singulum herum, ii optimè nosse poterunt. Superiora publicè patent.

9. Et in hac igitur optimâ maximâ CAUTIONE en humanae politiae mathesin divinam; in qua neccessariò quisque vir erit bonus, aut sine ullius heri tutelâ reus erit servitutis publicae, etsi tamen usque sub lege Dei, id est, sub lege OPTIMI MAXIMI.

§. CXLIII.

Majora harmoniae ratione omnino eàdem divinitus constituuntur. Nam esse vidimus — nativam democratiam PERITORUM: nativam aristocratiam PERITIORUM: nativam monarchiam PERITISSIMI. LXVII - IX. Sed in hoc statu vago mortalium, dum sine religione illico stultè ruitur in certamina; jam illa monarchia positivi juris erit juris neccessarii ac divini, si ad illam nativam

Digitized by Google

pancratiam conformatissima. Cujusvis autem regiminis interior illa forma erit: non sacra COLLUSIO voti et sacramenti, sed ipsius evidentia rei: non suffragiorum vaga FORS, sed momentorum in Facto vel Faciendo mathesis: non intutissima voluntas saepe minimi, sed tutissima ratio ubique MAXIMI. XLIV. CXVI-VIII. Quam rationem MAXIMI non paratiores callent, sed peritiores: nec viri suavissimi, sed gravissimi.

2. Itidem & regnorum ARBITROS constitui palam saepe vidimus. Quin pax fit rarò ulla, nisi per ARBITROS: at post, et cur non ANTE, belli vesanos furores? Unde illam SAINTPIERREI simplicissimam foederationem jam actu non exstare? id unicè doctorum stulta barbaries vetuit. Ea stulta barbaries, qua, dum furere sinunt omnes et altè somniant ipsi, adeo nil sciunt, ut nec videant, unam omnium criminum causam esse INCURIAM et unam omnium criminum formam esse ABSTRACTIONEM. LXXXVI-VII. CIII.

3. „At igitur & minimum illud nunc verè maximum abstractionis: dominium: nullam-ne agnoscet rationem TANTI AC TOTIUS?"

Ergo dic tu, quaeso: an sicut domini dominium, itidem hominis hominum, & voce & re, sit aliquid? Domini dominium

Digitized by Google

horrendum et ingens fieri poſse, videmus in magno MOGULE. At hominis hominium o cui non ignoratur? Si domino cuique SUUM erit quidquid arte et marte poterit occupare; en potentiorem potentior detrudit, en callidiorem callidior deludit, en vi ac dolo jus belluinum et hoc jure bellum perenne omnium in omnes. Itaque in dominio nulla securitas, nulla salus. Pereunt fame nepotes ditissimi: pereunt infamiâ nati heroum. Et quae circulationis illa gurges evomuit, vorat. XLIV, 7. Quid igitur? domini dominium, sine ullâ harmoniae ratione divinâ, constare nequit; sed constabit aeternùm cuique homini suum hominium, illud verè SUUM, haereditatis divinae rata portio, nempe: QUANTUM SATIS ad bene beateque vivendum in gradu suo. Quod quid sit, id MEDICINA, harmoniam vitalem regens, docet. Nam hercle Vitam ipsam ni curare velis viventium, nae tua jurisprudentia tota, tam olympica de jure, mox de facto erit UPIBRARUM plutonia.

„Mihi quidem sanctissima erit, post illud theomelos, universa theonomia. Sed ex hac socialium proportionum divinâ mathesi video, nullam unquam extitisse inter doctos JURISPRUDENTIAM, ideoque inter indoctos JUSTITIAM fere nullam.“

Cap. IX.

Medicina.

§. CXLIV.

Non medendi ars, sed VITAE regimen: non morborum cura, sed ipsa dia SALUS: non τεχνικον, sed ἁρμονικον Medicinae: nobis nunc quaeritur. Quaeritur autem, ut nobis demum fiat illud THEOMELOS verae theologiae non modò THEONOMOS verae jurisprudentiae, sed etiam THEOBIOS verae medicinae. Nam vitam illam aurei aevi patriarchalem: vitam, antiquo graecorum sensu, validam, suavem, venustam: vitam naturaliter divinam: vera docet MEDICINA.

2. Ergo primò furores insaniae, vitam arte belluinam luxuriae, brutamque intemperiem domat: vim vi molliens: et quanam vi? vi altiori: vi SUAVITATIS. Et hanc artem suavitatis: nativam HEDONICEN: divinitus datam magiam domandi: eam nullo

non aevo neglexit amentia docta: etsi palam innotuit vis musices in omni suo modo, vis vivi rhythmi seu animatae saltationis, vis ipsius Naturae demum seu rusticationis. Tum arcana remediorum, ad sedationem, ad oblivionem, ad quamcunque & vim & suavitatem: at magis technici quàm harmonici judicii. Sed illa tamen vulgò dominatrix idea concitationis, stimuli, toni, rudior esse videtur ad harmoniam vitalem. Palam enim ad furores INCITARI, ad constantiam autem virium TEMPERARI vivens omne, id fame probatur. Quin & in ipso languore NIMIUM quiddam vitae obstat: nam solius negativi nullum ENS: quod obstans ni molliendo soluas, contra nimium tu nimium ausurus tonum tono franges. Ita genuina salus viventis erit actu medium harmonicum, ad quod & descenditur & ascenditur utrinque a NIMIO vel actionis vel inertiae. Et in hoc naturae diae regressu agitur nil raptim sed harmonicè, nil incitatè sed temperatè, ideoque in medelâ vel minimum, quod non sit temperatissimum, id en, sicut in melo musico, totum illico turbat: unde furoris ardens illud, CONTRARIA CONTRARIIS, vel uno haustu frigido in aeternum restinguitur. Ergo barbarè solam vim vident ii, non TEMPERANS:

rationem mechanicam urgentis, non rationem chemicam lenientis: effectum igitur potentiae, non causam. Nam veram patet vitae rationem esse TEMPERANS atque temperantis, MEDIUM inter contraria, videlicet, morbidam in casu qualitatem et hujus contrarium naturale. Sed, contrariorum dato gradu, medium verè: nam ad frigus intensissimum in ipsâ nive latet medium temperaturae. Qui casus morbi et medelae in rerum Naturâ summus esse videtur. Nec in febrili ardore aut ipso dolore aliter: contrariis furitur ad variam destructionem, sed in contrariorum medio medela. Cur verò? per medium temperaturae, velut universale UNIENS, ubique datur transitus ad harmoniam nativam. Sine quo transitu non influit, sed irruit vis; non resolvitur affectum, sed revolvitur. Et a minimo incipere magis videtur meditatio quàm medicatio: quia raró tutum, nunquam citò jucundum. En igitur & heic, neque inertiam neque concitationem; sed vivam suavitatem, qua vitam Natura dia & gignit & conservat.

2. Secundò, idem illud verae Medicinae ἁρμονικον vetat publicam hanc torturam stultae consuetudinis: hanc MORIS moriam: qua, sicut DECET, moriuntur fatuorum tot myriades, quia vivere nesciunt. Nam

Digitized by Google

physicomedicè, stultitia probatur experimento et resecatur ad vivum. Ita & ipso actu vera Medicina ostendit cuique suae LUXURIAE charybdin: voraginem inopiae et vorticem copiae: profundam naturae miseriam, cum artis altè jactatis divitiis. Ostendit actu nimium illud momentanei vigoris, unde mox nimium diurni languoris: atque thrasonium CALCAR, tam fulgidè ingens, nullum tamen addere vel equo vel equiti robur. Et hoc dum ostendit vera Medicina; falsi medici forsan mirari dediscent CONCITATIONEM stultam ac barbarae vehementiae TONUM. Quo nunc furitur: & in medelâ, ultra medium temperans: & in cautelâ, citra suavitatem vivam. Est enim barbarorum diaeta: aut actionis furor, aut desidiae languor. Inter summum et imum serò maximum illud verum, serò MEDIUM, divinitus extrema concilians, elucescit: etsi & Gallis MOYEN & Germanis MITTEL & doctis omnibus MEDIUM — genuina ratio efficiendi, at non intellecta, vocatur: nam quid sunt mortalium, etiam in BONO, media nisi vel extrema vel extremis propiora? „BONI, scilicet, nullum nimium“ barbara vox intonat. Ratio autem vera, seu divini evidentia TANTI & IN essendo & AD essendum, semper ad sua contraria erit MEDIUM. At eâ ratione tamen

Digitized by Google

vis, vis nulla datur, sed conciliatur: et quomodo? per ipsum hoc rationis MEDIUM: quodnam? inter qualitatem, cui mederi velis, et qualitatem exactè contrariam. Ita non contrarium contrario barbarè debellas, dubio exitu, dubio exitio; sed naturali transitu contrarium reducitur, temperamine simul & suavi & gravi. Non frangis; sed flectis. Itidem ac in moralibus, in politicis, in oeconomicis, in rerum Naturâ ubivis: nec enim nisi UNUS datur OPTIMI MAXIMI modus. Ergo nativa & medelae & cautelae mathesis haec erit: CONTRARIORUM dato gradu, invenire MEDIUM temperans. Nempe: remedium verè medium: dimidio supra qualitatem corrigendam et dimidio infra ejus contrarium: vim ipsam imitans vitalem in illo genere actionis. Nisi enim quaeris, quomodo vis vitae agat, et hanc imiteris maximè; nae, sicut nunc fit, aut furis aut langues. Et en igitur TEMPERAMEN quàm sit divinum: conciliando, non concitando: et resolvens, non revolvens. En eo agi, nec audacter NIMIUM, nec pavidè PARUM; sed omnia forti suavitate.

3. Tertiò, principium VITAE, principium vivae suavitatis, principium harmonici medii, illa vera Medicina evehit a minimo remedii ad maximum regiminis. Nam

Digitized by Google

evidenter probat: eousque summè barbaram et summè destructricem esse NIMII stultitiam, ut perenni ANGORE, omnium morborum intus morbo, et atrâ curâ velut vivâ morte, vitam vitaeque suavitatem funditus perdat. Probat evidenter: NIMIUM in quaerendo esse infiniti angoris: NIMIUM in fruendo esse infiniti angoris. Et usque tamen: subita si FORS jubet: ipse TU enecaberis et ipsi TUI miserè peribunt fame et infamiâ. CXLIII, 3. Ergo securitatem, vitam vitae, animam Dei, sine qua Natura omnis nec sperat nec spirat, SECURITATEM tu aeterno illo angore vanissimè somnias in privato dominio; sed eam unicè invenies in statu omnium optimo maximo, ubi, evidenti lege vivi Dei Optimi Maximi, suum datum vides homini hominium, illud verè CUIQUE SUUM: QUANTUM SATIS ad bene beateque vivendum in gradu suo. CXLIII, 3. Ac tum en illico vanescit singuli atra CURA: et orta spes candida reanimat omnes. Vanescit singula solitudinis solicitudo: et nec jam suave praedium erit grave taedium, nec vaga sua cuique domus erit praedonia caverna, ferina spelunca, et anxietatis velut vivae mortis carcer. Labor ad BONUM publicum, ad OPTIMUM MAXIMUM, labor erit honoris et honor erit laboris: labor sacrosanctus,

Digitized by Google

cuique maximè harmonicus: labor viva vitae aura et humani divina vis vigoris. Quin gloria nonnisi una datur vera et viva haec: AD SALUTEM TOTIUS quantum quisque? Ita verò sensim cum vitâ etiam vitae venustas ac dia suavitas omnis, eâ sub aurorâ aurei aevi, elucet: nam in victu, in amictu, & usu & genuinâ gratiâ, quid cuique sit suo in gradu optimum maximum, id Medicina, naturae artisque peritior, decernet. Atque hoc tantum ac totum ecquidnam tamen? ipsa simplicitas RATIONIS: ipsa vitalium proportionum nativa mathesis.

Ita demum illud suum QUANTUM SATIS ad harmoniam vitalem, ad bene beateque vivendum, Medicina vera verè ordinat. Et FACULTATUM igitur superiorum triade, cui summum quaeritur bonum, theomelos, theonomos, theobios, etiam regimen contineri divinitus verum humanitatis, per theomelicen, theonomicen, theobioticen, dilucet: nec in bono nisi summo, seu OPTIMO MAXIMO, unitatem ordinis inveniri, CXXXIX, 8. CXLIII, 3. CXLIV.

Digitized by Google

Cap. X.

Philoſophia.

§. CXLV.

In ipsâ matheſi actualium divinâ seu archimetriâ contineri philosophiam veram seu criticen universalem TANTI AC TOTIUS, vidimus: XI. XII. XXXIII - IV. XLVII - L. ideoque per eam inchoari & Naturae & Artis & Salutis illam SCIENTIAM omnem. CXXXV-VIII.

2. Sed κατ᾽ ἐξοχὴν tamen ubique MAXIMA quaerit philosophia, seu, rationes harmonicas maximè probatas. At maximè probatas: ergo physicotechnicè: non a dato DATI, a ratiocinii circulo, a synonymiae vanâ illusione, a phasi phantasiae velut a priori. LXXV. etc. CVIII-XV. CXXXI, 5-7.

3. Illa verò MAXIMA rationis in matheſi actualium divinâ — en scholarum summis somnambulis per MAXIMAS formulares vagè adumbrari. Iis autem, quò magis ad SUMMUM transcenditur; eò minus MAXIMUM indicatur certae RATIONIS. XVIII-XXI. XXVIII. CXI-XIV. Et iis igitur aliam nullam contineri vides philosophiam, quàm a phasi phantasiae velut a priori, in ideali fatuitate, transcendentiam ERRORIS.

Digitized by Google

Cap. XI.

Stupor.

§. CXLVI.

Quàm omnino naturale sit STUPERE, id & INFANTIA & PECUS omnis: vagè intuens, varié speculans, miris mirè territa: cuique, ni stupenti, ostendit.

Jam verò si hanc facilitatem stuporis in summam virtutem, & universalem & fundamentalem, doctor evehat: si DOCILITATEM vocitet eandem ipsamque sanctissimam philomathiam: jam quid fiet inde?

„O mundi amentis fabulam trisophicam tam serò mihi esse intellectam, nunc miror.“

2. Ille igitur stupor erit, non ignorantiae hic nativus; sed stupor verè doctus; seu, stupor doctè, doctè, doctè fanaticus.

„At cur tamen illico fanaticus?“

Quoniam est FANATICISMI haec nota constans: in objecto UNO stupere: seu, nil videre praeter UNUM: quampote abstractissimè. Id ergo UNUM, quod doctor docet, unicè

Digitized by Google

noscit is ita doctus. At UNUM illud suae doctrinae ad omnem usque mentalem altitudinem et vehementiam animosam urget doctor: ad omnem usque mantiam et maniam: ad omnem usque transcendentiam & somnii & furoris. LII, 5. LXXXVI-VII. CXII, 7. 8. CXXII, 5. CXXVIII, 3.

3. Datur igitur scholarum quoddam Fatum fatuum: seu, FATUM docti stuporis. Nam fatali necessitate illuditur quisque, ubi nil videt praeter UNUM.

Et hinc tam celebre fuit usque, STUPERE, ac tam celeberrimum, STUPEFACERE, ut historia omnis aevi nil fere contineat nisi fanaticum et mirè varium STUPOREM: nam inde sunt istae mille milliesque mille fictionum factiones.

4. Stupuit autem doctè mundus, a mente amens, in quocunque doctorali somnio liberae mentis et liberae amentiae: usque adeo, ut fere nullius ideae REM realemque significationem nullius vocabuli, et MODUM nullius regulae, et nec tanti nec totius RATIONEM ullam, actu noverit: quousque scholarum somnambuli suum extenderint imperium.

5. Stupuit mortalium quisque, ita doctus: I. aut cum suâ REGIONE, in sacrâ TYRANNIDE traditionis: II. aut cum suo AEVO, in MORIS

Digitized by Google

moriâ novâ: III. aut cum suâ SECTA, in OPINIONE summi cujusdam somniatoris, supra & regnum & aevum omne.

Ergo tyrannidis, moris, opinionis altâ vi, en mortalium MENTEM variam, pro SENSU communi: idearum phantasiam, pro rerum Naturâ: mirè cogitatam stultitiam, pro verâ scientiâ. CXXI.

6. „At IDEALE ipsum, quantumlibet vagi erroris, tamen minimè videtur stupidum."

Tam hercle stupidum, quàm stupendum: quatenus verè ideale, seu, aliter quàm in sensu. CXX, 2. Quantus enim stupor: Naturam a sese, non sese a Naturâ: id est, MAXIMUM a minimo, non minimum a MAXIMO: deducere per vocabula sine sensu. Nec tamen videre: ita fieri quemcunque sibi & Numen & Naturam, sibi & Deum & Universum, at quia sese invitò, ideo cum FATALITATE horribili. Quantus ille stupor: somnium vigil adorare suae phantasiae, non curando, unde SCIAS id quod COGITAS, unde INTELLIGAS vel res vel ideas, vel signata vel signa: credere igitur VISIONEM sine VISU: formas et normas ENTIS esse mentis: a phasi rerum esse a priori: a dato DATI esse a sese: et, ad nihil usque, PARUM esse PURUM. Quantus ille omnium stuporum stupor: abstractionis, id est, ipsius AMENTIAE

Digitized by Google

mendacia unicè colere: transcendenter et absolutè, id est, ecstaticè et sine modo: universaliter, id est, qualiter exstat nihil — nisi vagè somniatum sine ullâ RATIONE divini TANTI AC TOTIUS. Nam & identicum datur in Dato, sanctè observandum: datur, non menti vagum, sed attentioni certum: sicut mathematicus a sui Dati universalissimo in singularissimum tendit, ad realem SCIENTIAM: at metaphysicus a sui Dati singularissimo in universalissimum tendit, ad ideale SOMNIUM. CI, 3.4. CXXXI, 5-8. Inde verò Libertas, Veritas, Bonitas — amentissimè cogitatur velut in newtoneo spatio infinito vacuo, in democriteo inani, adeo sine MODO, sine MODO, ut, ipsam quanti rationem si excipias, jam fere quodvis in praxi axioma furat et axiomata demum altiora cuncta nil sint aliud actu quàm velut ipsissimae leges Amentiae: e.g. DIC VERUM, et FAC BONUM: quibus immane quantum furere liceat, ni scias QUATENUS. XVI-XXIV. XXVIII. XLIV. LXIII-V. LXXXVI-VII. CI-III. CXII, 7-9. CXXVIII, 3. CXXXII. Sed econtra in hoc divino Universo palam datur nil SOLUTUM et ABSOLUTUM, nil nisi eatenus, nil nisi proportionatum, relativè aestimandum, et in divinâ ratione TANTI ac TOTIUS. Ita ut virtus ipsa, si harmonicum transcendit

Digitized by Google

medium, fiat illico fanatica, stulta ruens in cacodaemoniam omnem, et suo igitur excessu divinitus punienda, punienda Numini Naturae, a quo sanctissimè positus & sapientiae MODUS. Nam in ideâ solâ VERUM FALSO perditur; sed actu SIMULATIO & veritatem & res ipsas veras en divinitus potentior conservat adeo, ut etiamsi METUS esset absolutè nullus, id quod stultè cogitatur, tamen ipsius methodi et ipsius artis maneret illa eximia SIMULATIO. LXV. Ergo MODUS, unde sapientia fuit antiquis dicta moderatrix rerum omnium: MODUS & IN essendo & AD essendum, & Facti & Faciendi: MODUS ubique divinae RATIONIS ostendit palam, absolutismum esse ipsissimam transcendentiam & somnii & furoris. LXIII. CXXVIII, 3.

Id quod solus nescit summus doctorum stupor: ideo, quia ceteri mortales naturaliter stupent, sed hi arte immani ac perpetuâ INSTUPIDANTUR et summo STUDIO tendunt ad summam amentiam. Nam quid est AMENTIA? nisi palam id, quod A MENTE solâ cogitatur. Sophicam enim conscientiam esse amentiarum omnium, patet: nec per eam aliud intus evincitur, quàm somniantem ita verè somniare et furentem ita verè furere. Adeo ut illa mens demum conscia sui nil sit actu, nisi nobis ipsa facultas amentiarum

Digitized by Google

omnium: id est, nisi viva PHANTASIA: cujus altior vis mens dicitur, mirè culta fanatico stupori: etsi divinitus illucet contra illusionem omnem hoc, A MENTE NIL NISI AMENTIA. Unde ABSTRACTIONE possibilium infinitè PHILOSOPHARI, mortalibus sollenne; sed, quia sine ATTENTIONE actualium, nihil SAPERE. Exstat enim in abstracto nihil, nihil: et ultra FACTUM nil nisi FICTUM. CXV, 5. En itaque realia dia non transcendit idealium doctor stupendior, nisi ut eò stupidior tu stupeas ad illa tantalea miracula: non ut attingas, sapias, scias. Et hinc, nullo non aevo, summi & SOPHI & POETAE & POLITICI, ad miraculosam usque transcendentiam, tamen actu fuerunt supra vulgum DAEMONES multò magis STUPORIS quàm ingenii. At quia vox daemonum supra nos et INFINITA jubentium, inde mortalibus ille Stupor velut divinus: cujus effectus mox erat ille Furor velut divinus. Nam INFINITI et ABSOLUTI palam infinita et absoluta vis est. LXXXVI-VII. CXVII, 7. 8. Ideoque doctorali daemonismo, quia transcendentiori, etiamnunc in Oriente multò plus efficitur istius velut divini & STUPORIS & FURORIS. Quin illic ne distinguitur quidem inter homines divinos et amentissimos.

Digitized by Google

7. Et usque tamen iis tam altae amentiae humanis daemonibus omne ludibrium archimagiae fuit facillimum. Nam omnium primò facillimè STUPERE — id semper erat sanctissima DOCILITAS. Ergo palam, quia mortales a mente amenter maximè CREDEBANT ea, quae minimè sciebant; ideo a mente amenter doctores ea, quae minimè sciebant, maximè COGITABANT. Est autem COGITARE multò facilius quàm SOMNIARE. Hinc mille cogitatos mundos vides mentis; contra unam unius veritatem entis. Hinc omnem COGITANDI ter mirabilem transcendentiam horremus in ipsâ BARBARICI, JUDAICI, MONACHICI stuporis immanitate. CXII, 7-9. LXXVI-VIII. CXIX, 9. Cur verò? quia cogitatur transcendenter per vagè somniata, per umbraticè minima NOTIONIS: ubi nil PURUM nisi quia PARUM et nil MENTALE nisi quia MENDAX. CXIII.

8. Effingit autem ipsa PHASIS vagè varia rerum illum mundum mirè magicum PHANTASIAE: quatenus aliter quàm in sensu ea cogitatur phasis: aliter, vel abstractionum THESI, vel consomniandi synthesi. CXV, 5. Et hujus mundi sunt velut orbita et centrum: extimè noti TRANSCENDENTALITAS et intimè ignoti LIBERTAS. CXI, 6. CXII, 7-9. CXVI. CXXII, 5. Jam verò, quia in omni

Digitized by Google

somnio phantasiae cogitatur nil nisi per thesium synthesin; et sibimet contradictum est nihil dictum; ideo, quò somniat vividiùs, eò ratiocinatur subtiliùs, ipsa demum amentia. e. g. Thesis, OMNE: synthesis, QUODVIS: en syllogisticen totam. Thesis, LIBERTAS: synthesis, NIHIL altioris potentiae, nam vis altior cogit. Thesis, AEQUALITAS: synthesis, NIHIL harmoniae, nam harmonia nulla nisi per plus et minus. Thesis, oportet ABSOLUTE: synthesis, etiamsi pereat mundus. Thesis, OMNIA EGO: synthesis, & Deus & Natura LUDIBRIUM. En, post umbram pro Junone in theoriâ olympicâ, jam rotam Ixioneam in tartareâ praxi. En idealium STUPOREM & summum & imum.

9. „Et stupor igitur verè: in ipsâ mentis altitudine?"

STUPOR tam verè, ut usque et ubique, doctiorum CAPITUM facilius fuerit mutare systemata quàm galericulos: faciliusque concinnare ideas, quàm cirros. STUPOR tam verè, ut hic doctorum docilis mundus noster nil fuerit nisi velut ingentior quidam ASINUS auscultans, aure eminente, qui captat rerum intellectum, verè autem capit nil nisi capistrum — theseos doctoriae: cui non rarò maledocili asino en mox tamen impostores imponunt AUCTORITATIS clitellas: ac demum

ritè sectanti, nexu rigido, annectunt CONSEQUENTIARUM plaustra, quorum rotae stridulae usque resonant ERGO ERGO ERGO.

§. CXLVII.

„Illam stuporis & ego vim proh dolor vivè sensi."

Sensimus omnes. Nam suam thesin et synthesin quia doctores liberè ponunt et imponunt — insciae JUVENTUTI et nesciae PLEBI; o cur non mox in libitam transcendentiam glisceret imposturae doctoriae AUTOCRATIA. In qua nil artis vides, nil praeter sacros doctae Fraudis ordines: illusorem primarium, illudentes, illusos: seu, I. IMPOSTOREM, II. NEBULONES, III. STUPONES: illum sublimiorem, istos versutiores, hos vanos. Ubi verò impostor CENSET: nebulones RECENSENT: stupones ACCLAMANT. At omnibus eadem barbara incuria: non SCIRE, sed COGITARE: ergo sapere velle, non a sensu sensatè, sed a mente amenter.

2. „Tamen hoc, hoc aevum nostrum veri luce mirè collustratum cui non dicitur?"

Dicitur facillimè: quousque liceat a mente mentiri. Sed actu, QUATENUS ita sit, si quaeris — en tibi hunc orbem terrarum dicam an orbem terrorum etiamnunc ethnicâ, muhammedicâ, catholicâ, et quâ non stupidâ.

Digitized by Google

et stupendâ SUPERSTITIONE, undique taetrum, undique tenebricosum. Et verè igitur: quaenam miracula vides aevi nostri?

I. In angulo Germaniae quidem, e Socinianismo nuper ortam, theologicam RATIONEM: at nil demum nisi antiquae sapientiae umbram: CONFUCII, SOCRATIS, HERBERTI, et universè Naturalistarum, vagam imitationem, hinc astutam, illinc fatuam.

II. Dein LIBERTATEM, at sine lege nullam: libertatem non liberalem: hyperboreae, graecae, romanae libertatis histrioniam: et istam, in scholarum ethicis compendiis tritissimam, hominum aequalitatem sine aequitate. Ipsius verò jurisprudentiae en usque eosdem LABYRINTHOS, quorum in medio hiat omnivorus opinationis MINOTAURUS: antiquas formulas, non antiquos mores, non moralium illam legum antiquam sanctitatem.

III. In arte porro medicâ: post omnium theoriarum turbas ac turbines: post veterum opinionum tot circuitus non rarò circulatorios: tandem en tibi nil nisi obsoletissimum illud NIMIUM et PARUM, sine MEDIO harmoniae. CXLIV.

IV. Et in philosophiâ demum, illam velut aeternam en usque redeuntem somniorum vicissitudinem. MENTEM PURAM, zoroastricam,

platonicam, monachomysticam, cartesianam. DICTAMEN rectae rationis nihil dictans: at virtutem tamen omnia transcendentem prisci et barbari heroismi, stoicismi, et cujuscunque fanaticismi. SCHOLASTICES veteris iterum ex orco umbras: iterum ejus Materiam intelligibilem, Esse intelligibile, Formas ac species intelligibiles: Intellectumque istius aevi stupidissimi vagè varium, purum et impurum, agentem et patientem, theoreticum et practicum: omnes igitur istos habitus intellectivos atque summorum axiomatum summum illud axioma „Intellectus intelligendo fit Omnia:" inde νοησιν νοησεως seu ipsam intellectionis intellectionem en iterum scholasticam et stupendas istas, nunc passim redivivas, NOOLOGIAS, ARCHELOGIAS, GNOSTOLOGIAS, HEXILOGIAS, SCIENTIAS SCIENTIAE, METAPHYSICAS DIVINAS cujuslibet olim divini GUTKII atque GEILFUSII. Ergo tandem Universum nil nisi leibnitzianum illud: schema repraesentationis. Non autem sine ostentationis altitudine istâ divi HERBERTI, qui, posteaquam in suo de VERITATE libro mirè sublimi „Veritatem ipsarum Veritatum, totamque potentiarum et facultatum nobis insitarum Fabricam construxerat, qua Intellectus intelligit se ritè intellexisse, tot

enim, tot sunt Facultates quot rerum Differentiae, et vice versâ" p. 38. tandem p. 195. addit hoc memorabile „Nos, qui cunctarum facultatum humanarum TERMINOS ac METAS primi, quantum scimus, posuimus."

3. „Memorabile hercle mihi quoque id videtur omne; at stupendum sanè, iisdem aevi stupidissimi somniis etiamnunc doctos capi et rapi."

Cur verò? quia STUPOR ille doctè fanaticus illico tollit non modò SENSUM, sed ipsam demum MEMORIAM, videtque nil nisi unum istud, quod repraesentatur. CXXIX, 5-7. CXLVI, 2. 3.

4. Et hinc adeo illa KANTII acutissimi SATIRA stupenda stupentibus illusit.

„Satira?"

SATIRA palam. Nam

I. ideo istam horribilem discordiam ludit, in omni theoriâ TRANSCENDENTALE vocans summè fatuum et in omni praxi unicè divinum:

II. ideo inania VOCABULA evehit in mentales potentias et Formas fingit nullius Formati:

III. ideo VISIONEM sine visu, et phantasiam sine Naturâ, et somnium sine rebus, ludicrè. ostentat non ostendendo.

Digitized by Google

Et is igitur, ob satirae suae transcendentiam, cujuscunque demum vocabuli verum sensum in eo ludo sublimiter necit. Sed archimagicè redire jubet

I. LAMBERTI phantasma illud: esse mundum nil nisi Apparentiam seu visionem, et in philosophiâ igitur primâ nil nisi leges fundamentales Apparentiae seu visionum omnium contineri: ARCHIT. §. 43. ideoque Formam, Formam cognitionis, et ea quae per eandem sint Possibilia, ante omnia necessariò quaeri: OPUSC. p. 184.

II. CRUSII transcendentias miras illas: Spatium ac Tempus esse omnino prima elementa COGITATIONIS, METAPH. §. 48: Ideam quamcunque esse a sese mentis originariam ACTIVITATEM, §. 443, in isto magno mysterio conscientiae, et cum omni varietate potentiarum repraesentatricium, §. 444: Mentem a motu quidem affici, sed per Ideas tamen sensionem omnem fieri possibilem, §. 463. 464: Voluntatem esse in mente vim primariam et imperatricem §. 45/.: etsi ad ipsius COGITABILITATIS internam necessitatem

Digitized by Google

cuncta ultimò redeant, §. 15. — Et illic igitur kantianismum tu bibas ex ipso liquido fonte.

III. HUMEI argutias de Agentis fortasse non actu, et Efficiendi fortasse non effectu.

IV. RIDIGERI axiomata illa fortiora: Deum nolle, ut ultra sensus sapiam, Log. L. I. C. V. §. XIII. Ratiocinationem, etiam logicomathematicam esse inanem, Phys. p. 13. et Principium fere omnis mali esse hoc unum, pro αυταρκεια, quaerere Felicitatem, Pragm. L. III. §. 690.

V. LEIBNITZII schemata repraesentativa mundi.

VI. CARTESII mentalitatem purè transcendentalem: et in ipso judicio voluntatem infinitè liberam: cum imperio demum absolutissimo in passiones omnes, v. Pass. An. art. 50. ult.

VII. MONACHORUM demum moralitatem istam donquixoticae transcendentiae, vel ecstaticè suaviorem, vel fanaticè graviorem. LXIII.

Haec, inquam, universa ille facetissimè confinxit, eâ fabulae novitate, ut, quia vulgatum erat nos omnia videre in MUNDO et

Digitized by Google

jam tentatum erat nos omnia videre in DEO, is demum posuit, nos omnia videre in NOBIS.

Lusit igitur novantiquam istam PLATOPYRRHODUNSITUDINEM scholarum. Sed per ipsam hanc universalem Parodiam stupentibus illusit. Et hinc intelligis illud ingeniosissimum silentium, quo hic scholarum CERVANTES heroum suorum errores nunc intus ridet.

At o quàm ingens demum illius satirici DAEDALI parodicus ille triumphus. Nam & suis purae formae alis ICARUS ipse altior attigit nihil: & novus hicce PHAËTON transcendentiae et independentiae, idealismi et absolutismi, en ruit — in imum imae materialitatis FATALISMUM adeo, ut & sese ruere necessariò ponat is, qui supra omnia sese necessariò posuit in ipso curru metaphysici solis; is ille a Naturae aurulâ, a Numinis nutu, positus ipse totus tanta necessariò ponens; sicut necessariò positus erat ille, mundus, in quo liberrimè a suâ mente amens necessariò rueret. — Ea igitur o quàm ridet intus ille, qui mirè cogitatae syntheseos & labyrinthum & evolatum primò luserat.

5. „At hercle, utrum arte magis agathodaemonicâ an cacodaemonicâ, ambigo."

Luserunt itidem talia PLATO et ARISTOTELES: DESCARTES et LEIBNITZ: BAYLE et HUME: nec ii stuporem effecerunt, sed miraculum illud in quo stupetur. Attamen, fateor, & sua poena iis: GLORIA, pro HONORE.

6. „Subhorresco, hanc distinctionem cogitans: ac totus horreo, tot ingentia respectans mentis ludibria, tot immanes transcendentias & docti somnii & indocti furoris.“

Nullus opinionum furitur furor nisi doctus: et altior amentia nulla nisi altioris mentis. Ideoque Gallus, liberâ mente doctè furere dudum assuetissimus, en primò pro Veri severi HONORE cupiit Ingenii liberi GLORIAM: secundò, non liber modò sed vagus in illo ingenioso fictionum orbe, en criticâ Securi, quot poterat, capita minuebat, ut caput suum extolleret altius: tertiò, en doctissimum nunc vides imperium coram.

„Et doctissimum?“

Ita palam. Nam hoc idem perpetuum illud est DOCTORUM regimen. Illic IMPOSTOR quisque sublimior censet: tum, novae gloriae captu exciti, NEBULONES recensent: et vani STUPONES acclamant. CXLVII. Nebulones igitur speluncarum omnium, atrâ sub nebulâ, illic judicant: judicat stultus quisque sapientissimum: surdus quisque sublimia ingenia: et inimicorum abjectissimus, quemcunque oderit, divinum virum. Immanes

Digitized by Google

barbari arbitros eligunt palam optimos maximos, cum optione inter ipsos. Optimos. Sed illic nil nisi vagus tatarismus: quo liberrimè, quidquid libet, raptim diripiunt rabidi rapones: dum illum capite minuunt, et huic OMNIUM caput UNUM addunt.

7. „Et nisi per hos tamen, regi nil poterit?"

Non mehercle per DOCTOS, sed per SAPIENTES: non per eos, qui vagè summa COGITANT, sed per eos qui certò maxima SCIUNT: non igitur humanitus a variâ mente, sed palam divinitus a communi sensu: rectè regitur. Nempe a sensu — in illâ suâ divinâ RATIONE TANTI AC TOTIUS.

8. Quam divinam rationem fataliter ignorant ii, qui, quantumvis amplissimi, tamen in scholarum omni amplitudine nil actu norunt, praeter inane spatium, inane tempus, inanem mentem suam et araneam autosyntheseos deam. En itaque cur nihil dent nisi Oracula sui Oris: ubi tu stupens delphicam probitatem, cum priscâ sophorum Graeciâ, credis Phoebum audiri et audis pythiam anum. Ergo, sine actuali RATIONE TANTI AC TOTIUS, nec divinam ii theoriam nec divinam praxin intelligunt unquam empiriae et eudaemonismi; sed solam suae amentiae PHANTASIAM et CACODAEMO-

Digitized by Google

ſtismum. Quibus omne tentant complementum possibilitatis: ad omnem usque transcendentiam somnii ac furoris. XLVIII. CXII, 7. 8.

9. Et inde doctos vides universos et omni aevo — sine RATIONE, sine FIDE, sine OBJECTO vero, sine SENSU, sine METHODO et memoriâ, sine SCIENTIA, sine RELIGIONE, sine JUSTITIA, sine VIVENDI MODO, sed nil nisi vagè varii STUPORIS altiores DAEMONES. Cap. I-XI. Daemones tam verè, ut VERI vel minimam vocem in auras inanes, et VERI vel minimam ideam in umbrarum illudia, dudum diffiaverint. Daemones tam verè, ut entis divini Factum in mentis humanae Fictum quia liberè mutarunt et VERUM sine SENSU, BONUM sine MODO vagè ostentarunt, inde mortales docuerint in ipso VERO somniare, in ipso BONO furere: transcendenter et absolutè. Daemones tam verè, ut, Naturae Numen altè spernendo, nil nisi daemoniacas fictionum factiones ludant: humani-TATEM in caelum extollentes, dum homines dios ipsos fame et infamiâ, servitiis et bellis, omnique stupore ac furore, perdi vel sinunt vel jubent: quasi humanitas esset OMNIUM alia quàm UNIUSCUIUSQUE aut saeviretur in HUMANITATEM aliter quàm in HOMINEM. CXXVIII, 5.

„Et hos igitur, hos quomodo regere?“ Videamus.

Digitized by Google

Cap. XII.

Sapientia.

§. CXLVIII.

REGNUM omne a REGIMINE: et regimen a RECTO: regitur. Jam si RECTUM nil nisi ludibrium fit doctae amentiae; ecquid TUTUM erit regimini et regno? Ergo regere mentem RECTO qui velit, is & necessariò doctae vetabit amentiae imposturam, quae nunc autocratiâ facillimâ imperat — insciae JUVENTUTI et nesciae PLEBI.

2. Sed non cedit imperium amentiae, nisi unicè imperio Rationis.

„Et quomodo?"

Id vidimus: LXXIII. Jam ad imperium rationis: ad regimen RECTI; ad fidem publicam, sicut in BONIS, itidem in VERIS: illa scientiarum collegia erunt perpetua collegia regni: et sancient, sicuti nunc in Physicis, ita in graviori scientiâ omni, ubique probatissimum seu MAXIMUM probati, tamquam LEGEM VERI. Adeo, ut eâdem planè MATHESI definiatur PROBATUM, qua nunc PROBABILE.

Digitized by Google

3. Id quod praestabit, in ambitu suo, tale collegium: I. per libros et libellos NORMALES: II. per ANNALES progressionis publicae: III. per DIARIA comperti et correcti, seu, inventionum et emendationum.

4. NORMALIUM lex erit: non speciem FICTI possibilem, sed speciem FACTI actualem: non SUMMITATEM speculationis, sed SUMMAM probationis: non quid maximè COGITETUR, sed quid maximè SCIATUR: id non per ratiocinia putare, sed per experimenta computare: ita, ut eâdem planè mathesi definiatur probatum, qua nunc probabile. ANNALIUM lex erit: QUANTUM ad progressionem publicam vel VERI vel BONI quidque faciat, id unum indicare: non stilum, non morem auctoris advertere pueriliter: sed eâ simplici gravitate pragmaticae historiae, qua nunc in Physicis. DIARIA & publicè sacrosancta & publicè apertissima erunt, qualiter nunc Protocolla: ubi Probitati publicae vir quisque bonus et fortis possit offerre quamcunque ideam vel novam vel neglectam, et auctores possint evincere, quid actu praestiterint AD SALUTEM TOTIUS. Quae diaria in lucem edenda fore patet. Adeo, ut per illos codices diarios, annales, normales & deleantur ista librorum nunc infinitè vaga ludibria & sciatur demum, quid possit publicè doceri citra publicam vel amentiam vel imposturam.

Digitized by Google

5. Et erit igitur, in quocunque scientiarum genere, tale collegium verè Veri TRIBUNATUS — contra doctae amentiae dictatores, triumviros et vagos demodaemones: erit non collegium, sed, ut verè sit nomen novimen, MAXIMIUM — quia, per mathesin MAXIMI, sollenne publicae rationis, probitatis, sapientiae, fidei tribunal.

6. Ni autem ceteroquin illa vagè varia mens phantasiae humanae, inprimisque altior mens doctae amentiae, ad suas omnes evagetur liberè transcendentias vel theoretici somnii vel practici furoris; en igitur omnium primò stabilietur MAXIMIUM politiae humanae. Sancietur verò: nullam jam dari licentiam vel doctae famae et infamiae, vel elegantis moris et moriae: sed constitui nunc politiam & literarum & morum planè eandem, quae civilium formarum et actionum: ideoque cessare illico jus omne altioris amentiae, id est, privilegium omne liberè furendi. Est enim divinitus regula MORIS quaenam? ipsius artis optimum maximum: et regula JUDICII? non hercle speluncaria putatio nebulonum, sed evidentissima computatio virorum optimorum et maximorum.

7. Ad ipsum VULGUS autem seu vagum PUBLICUM provocare, sicuti nunc licet sine regimine RECTI; id actu quid est — nisi ad

Digitized by Google

TURBAM? Et quemcunque sese judicem velle, quid est — nisi jus liberae famae et infamiae? unde famistarum et infamistarum illa nunc horrida FICTIO et FACTIO. At non tamen datur nisi unus cuique dius HONOR, et nisi unum cuique suum dium BONUM: ergo nec dabitur nisi una lex injuriae, una indemnitas, una SECURITAS omnium. Nam parùm sapere — crimen certè non est: et id ipsum an stultiori cuivis decernendum? Gallis duella vocantur supplementa legis; at hercle barbara supplementa barbarae legis. Doctis autem κατ' ἐξοχὴν datur jus liberae famae et infamiae: iis ergo, quibus vel maximè constare sua oporteret sanctior dignitas.

8. Quin ipsam libros vulgandi licentiam palam experimur & vanissimam & intutissimam. Nam & boni viri solo quaerendi labore discruciantur: & non boni liberè infatuantur, dementantur, furiantur. Nec tamen ultimò alia datur VERITAS, quàm illa constituenda MAXIMI.

O doctae fatuitatis altitudinem. Quia ipsi scriptores, in hoc omnium barbaro tumultu, quàm sint etiam cum summâ felicitate infelicissimi et cum summâ gloriâ sine HONORE, id palam patet. Primò enim, per chaos possibilium horridè vagantur: ut aerumnosissimi aliquid forsan memorabile acquirant.

Digitized by Google

Secundò, novum illud opinatum ut quampote altius evehant, ad hypothesium amentiam, ad systematum imposturam, facili phantasiae ecstasi, transcendunt. Tertiò, contrariarum fictionum omnium contrarias factiones omnes ad rabiem omnem excitant: et praepotens forte hic vel ille ingentem sectam conflat quidem: sed mox tanquam stultus aut nebulo e culmine deturbandus a potentiore stulto aut nebulone. Tum verò NEBUCHODONOSOR is en adeo mutatur illico, ut ruat velut brutum in siluas horridae oblivionis ac feritatis priscae. O magiam doctae amentiae daemonicam. At econtra: in Physicis, nec amentiae gloriam, nec amentiae ruinam, vides ullam: sed cuique inventori suus manet aeternus honor suae divinae rationis. Cur verò? quia illic non COGITANDO liberè putatur, sed SCIENDO necessariò computatur: publico regimine RECTI.

„At ingenia poëtica illa summa, ni summae phantasiae summâ vi liberè transcendunt; nunquam ascendunt."

Et ARCHITECTUS igitur aut MUSICUS: ii, palam ascendant, nil transcendendo? Nemini, quantumlibet sapientissimo vel Numinis vel Naturae vel Artis, vagari licet unquam; at SOPHO, POËTAE, POLITICO, licitum erroris illudium omne. Id quod nil esse

Digitized by Google

vides, nisi transcendentiam illam barbarae stultitiae barbarè sublimem. XCVI. Ergo nationalia carmina, et facinora memoranda, et ludorum spectacula, nisi pareant imperio RATIONIS et vero MAXIMIO artium; eatenus velut sollenne datur ingeniis privilegium publicae amentiae, publici furoris. Et palam igitur, dum ea licentia datur, libros liberè vulgandi: dum mille milliesque mille stultis et nebulonibus licentia datur, sese in summos judices et summos prophetas evehendi: en doctè ruitur — in omnem FICTIONEM et FACTIONEM, in omnem liberi tatarismi rabiem et ruinam, in istum denique doctissimae Lutetiae orcum. Ergo cessare jubeat amentiae doctae liberos demodaemonismos illud imperium RATIONIS. Et MAXIMIUM politiae, quid sit & in more STULTUM & in arbitrio INFAME, rigidè animadvertat: quantum liceat cavens, ne mens phantasiae humanae publicè demum ruat in suos vagè libitos furores.

9. Quodsi verò nullius REGNI diviniores animos excitet hoc regimen RECTI, hoc imperium RATIONIS; tamen id facilè instaurabunt sociati sapientes. Et hi si languent; tamen idem effici poterit per bonos omnes, ipsâ vi vivae suavitatis, ipsâ religione OPTIMI MAXIMI.

Digitized by Google

Epilogus.

§. CXLIX.

Universalem ruinam humanitatis dolui: et universalem amentiam doctorum, post SOCRATEM et VERULAMIUM, indicavi: personis tamen, non sine arte, mitior.

Ipsa verò initia certaminis archimetrici haec erunt. Dari nec essendi nisi unum ESSE: nec sentiendi nisi unum sensum: ergo — dari nil nisi VERUM. Inde tam umbram umbrae quàm solem, et ipsam speciem vagè subitam vel mendacii vel somnii, esse divinitus verissimam, divinitus realem: in sua ratione TANTI. Et in Vero igitur illo divino uno — errari nunquam nisi vagè, seu, indefinitione. Vagum ubique esse vanum. Sed hinc Principium Sciendi etiam divinitus oriri unum hoc: vide QUANTUM? & IN essendo & AD essendum, id est, & theoreticè & practicè. Sciendi enim realem & materiam & formam esse: ITA, et EATENUS: seu, tale et tantum: datum et ratum. Indeque categoriam hanc nobis dari vivam unam: QUATENUS ITA? In mathesi definitissimum igitur minimum minimi esse ipsum veri centrum: at metaphysices illud summum summi, seu EXTIMUM dati, tamen omnium primò nobis illucescere: et esse id verè ALIQUID, ideam transcendentissimam, phasin mundi velut purissimam umbram somnii. Quin cujuscunque VOCABULI vagum sensum, seu subitam signationem, illico videri transcendentalem: ipsam adeo caroli carolitudinem, ipsamque ipsitatem ipsius. Et adumbrationes verè videri supra corpora: signationem supra signatum. Hinc transcendentiam sophicam, seu mentalitatem omnem, esse ipsissimam FATUITATEM humanam: esse nil nisi vocabuli cujuscunque sensum vagum: signationem summè vagam, in specie vel sua vel simili: minimum imaginis, fatuis propriè ideam e. g. OMNITUDINIS,

Digitized by Google

ACTIVITATIS, FORMAE: unde spiritualissima erat barbaries ea fatuissima & mythica prisca & mystica media, & gallokantica haec tertia, eodem illo somnio prisco transcendenter ideali, eodem illo sublimi furore, ecquam non DAEMONIAM dira minatur. Ideam autem omnem, quò altior, eò signare minus OBIECTI: ideam et rem — esse minimum et maximum DATI: nil in cognoscendo differre nisi per plus et minus COGNITI. Atque sapientiam altiorem ab hac una observationum observatione incipere: IDEAM et REM esse DATI cujuscunque MINIMUM et MAXIMUM. Cui observationi en illicò vanescit ea fatua transcendentalitas tota: palamque patet & realium idealitas & idealium realitas. Ita verò adumbrationem notionis vagae, seu ipsius infantiae humanae somnium, esse metaphysicen: et notionem actu certam, seu humanae scientiae initium, esse grammaticen in illa sua crisi genuinae signationis seu realitatis primò physicae. Unde barbaries illa & prisca & media, metaphysicè inchoata, grammaticè desiit: grammaticè, nempe dum quaeritur, ipsas ideas an verè intelligas et actu igitur QUID et QUANTUM signent? e. g. in linea & recti tend-ENTIAM & pulcri-TUDINEM & boni-TATEM. At mundi sophos omnes omnem fere sensum vocabulorum nesciisse: ideo quia realiter ii nihil inveniunt, sed jam inventa formaliter resomniant: unde illam suam etiamnunc VISIONEM sine VISU ostentant non ostendendo, et notiones sine constructione, id est, intellecta sine intellectu, seu quatenus possibile, verba sine sensu. Eis ideo VAGUM videri transcendentale: a dato DATI videri a priori: a PHASI rerum videri a sese: et, ad nihil usque, PARUM videri PURUM. Ubique autem illud PARUM dati visum, eis ABSTRACTUM vocari. Sed abstracte tamen, seu solutè et absolutè, dari nihil: abstrahentis igitur esse nil nisi mendacium: et quò abstractius omne, eò amentius

Digitized by Google

cogitari, quò absolutius eò furiosius: nam & idem ejusdem omnium maximè in dato datur. Esse verò A MENTE nil nisi AMENS eatenus, quatenus aliter quàm in sensu: et ultra FACTUM nil nisi FICTUM. Doctis igitur, sicut vel amentissimo, usque — omnia COGITANDO nihil SCIRI. Et hinc demum, in ea facillima ecstasi abstractionum, per omnem phasin et symphasin PHANTASIAE, semper fuisse orbem literarium velut Humanitatis GYRGATHUM: et sophicam ABSTRACTIONEM ipsam nil nisi archimagiam & theoretici SOMNII & practici FURORIS. Hanc autem horribilem Fatuitatem phantasiae: per Metaphysicon, Paraphysicon, Antiphysicon, seu trans, praeter, contra Naturam: sophicè, poëticè, politicè: in specie sublimi, in analogia splendida, in auctoritate sacra: videri & ipsam sublimem, splendidam, sacram. Quomodo igitur? vagae similitudinis illusione: et quare? ad omnem doctae fraudis autocratiam. Contra quam, in archimetria seu mathesi actualium divina, tamdiu QUATENUS ITA? vel actu ipso QUANTUM sciatur? quaeritur, donec pateat, usque ad maximum, ratio divinitus vera seu evidentia TANTI, & IN essendo & AD essendum, seu & theoreticè & practicè: ergo, donec pateat, per Physicon, Technicon, Harmonicon omne, in divina RATIONE salus TOTIUS.

§ CL.

Stilus verò heic aliud est nil quàm ipsius Naturae CONSONUM et DISSONUM. Atque palam Stili nonnisi una datur lex: vivè, nam aliter non verè. In stilo igitur VERI contra FALSUM — praecellens nil erit si non percellens: vel indignatè, velut in clava Herculis: vel acutè, velut in arcu Apollinis: vel VERI maxima vi, velut in fulmine Jovis. Nec vati hyperboreo IDEALE placet aliud, quàm & sublimius & antiquius.

Optimi Maximi
antiquissima religio
instaurata.

§. CLI.

Mortales uniri, nec per BONUM, cujus est illa mirè varia voluptas; nec per MELIUS, cujus est illa mirè varia gloria; sed unicè per OPTIMUM, cujus est illud salutis MAXIMUM, quod omnes, intus ac divinitus, maximè optant: id palam vidimus. CXXXIX, 8. Et in hujus OPTIMI MAXIMI θειω λόγω, seu divinâ ratione unius harmoniae, & sibi & Deo unicè mortales uniuntur. Nec, nisi panharmonicâ ratione OPTIMI et MAXIMI, Deus Optimus Maximus colitur optimè et maximè: CXVIII, 8.

2. At ubinam illud genuinum OPTIMUM MAXIMUM inveniatur? si quaeris: id itidem vidimus. Nempe, in ipsâ mathesi actualium divinâ: in ipsâ mathesi tanti ac totius: in archimetriâ. Quin & actu ipso ubinam?

in ARTE omni. LXXI, 6. LXXII, 2. LXXIII, 6. CII-III. CXXIV. CXXXVII. Nam in ARTE sensui attentissimo divinitus ratio patet OPTIMI MAXIMI. Et in artis RATIONE continetur illa sanctitas mathematici rigoris: sanctitas QUANTI, & IN essendo & AD essendum: maxima Probitas maximè Probati: illa & scientiae & conscientiae eadem aeterna religio. XXXVII. XLVII. L. LXII. CXXXIX-XL.

3. Ergo theoreticè religio vera quid? mathesis harmonica tanti ac totius ad OPTIMUM MAXIMUM: et practicè quid? hujus OPTIMI MAXIMI, in arte sanctissimè probati, sanctio.

4. Ad OPTIMUM igitur sanctio erit prima, BONI primi seu VERI: id est, ad MAXIMUM prima erit sanctio TANTI, tanti & IN essendo & AD essendum: ergo, sanctio illius in ipsâ rerum Naturâ jam divinitus sancitae RATIONIS, qua unâ homo fiat compos rationis, qua unâ sciat quantum verè sciat, qua unâ ei intus oriatur illa sua scientiae conscientia.

5. Itaque contra religionem hanc naturaliter divinam unicus vagatur brutae mentis atheismus ille: non curare, QUANTUM scias. In eâ enim incuriâ unicè viget ipsa vis improbitatis, ipsa vis barbariae, ipsa vis nebulonum omnium: dum saepe COGITATUR esse maximè verum et bonum id, quod

Digitized by Google

ita esse minimè SCITUR: unde altior illa mentis amentia, usque ad omnem transcendentiam & somnii & furoris. CIII, 5.

6. Jam autem in genuinae religionis illo ϑειω λογω: in divinâ ratione tanti ac totius: in universali Fide et universali concordiâ Veri: per mathesin palam eandem PROBATI, quae nunc PROBABILIUM: non modo TANTUM dati, sicut in hoc primo gradu, sed quidquid actu poterit sciri seu MAXIMUM dati, ad sapientiam omnem, scire licet, per ipsum illud regimen RECTI, CXLVIII: quod regimen in quacunque sociatione, etiam pauciorum, erit aeque divinum.

7. Tamen VERUM non quaeritur nisi quatenus BONUM. Et is igitur, qui maximum VERI ad maximum BONI conformaverit actu; is demum OPTIMUM MAXIMUM colit.

8. Nam quaenam datur perfectio vera et viva, si non — esse beatissimum: aut, quaenam imperfectio vera et viva, si non — esse miserrimum? Atque palam, si ESSE — commune illud bonum est Naturae, nae optimè ESSE erit summum bonum: et ad caeli gaudia si tendimus, ad caeli gaudia decet animos formari. Nec, in suo fanaticarum virtutum cacodaemonismo, illa doctorum stupenda fatuitas OPTIMUM divinum horret, nisi quia in OPTIMO non

Digitized by Google

vident MAXIMUM divinum seu rationem harmonicam TOTIUS: sine qua nihil vel est vel beatur, nihil vel sperat vel spirat. Id quod & ignarissimis tamen ita patet evidenter, ut actu nulla sit in rerum Naturâ vel optio nisi OPTIMI vel voluntas nisi panharmoniae, LXIII, 7-9: ni mentibus irrueret usque aliud transcendens ABSTRACTI et ABSOLUTI, id est, docti & somnii & furoris. Eudaemoniae igitur soli docti stultè vident solam materiam velut vagam umbram, non autem formam illam exactissimam summi artificii, formam ipsius divinae rationis, mathesin tanti ac totius, panharmoniam et Numinis illud melos. At quia non datur, in hoc divino Universo, nisi unum vel ESSE vel POSSE; nisi unum Harmonicon, sicut pulcritudinis, ita & virtutis & salutis; nisi unum vel maximi BENE vel minimi BELLE; ideo illud omnes miramur, non modò in dolore suave et in morte sublime, sed in ipso scelere divinum et in ipso orco venustum, quatenus ad suum Totum harmonicè: CXXXVII, 6. Non enim erratur in BONO aliter quàm in VERO: non peccatur in virtutem aliter quàm in artem: et nil sunt delicta nisi deliquia rationis harmonicae: nec delinquitur nisi quia linquitur de toto & majus & maximum;

Digitized by Google

cxlii. Quod idem accidit doctoribus iis, qui ratiocinio stultissimi sceleris contra rationem divinam TOTIUS, id est, cacodaemonico stupore contra eudaemoniam sapientissimam, nunc sua dubia fingunt. Unde virtus docta nil fuit unquam nisi amentia docta: seu, ABSTRACTI AC TRANSCENDENTIS error ac terror, SOLUTI et ABSOLUTI stupor et furor: sine RATIONE tanti ac totius, sine MODO Naturae, sine LEGE vivi Numinis. Eousque, ut, etiam cum istis heroicae virtutis mille miraculis, in civitate nullâ tantum fuerit Rationis, quantum in alatâ molâ. XLIV, 3.

9. Ita demum genuinae religionis en ordines ipsos:

1. Sanctitatem dari nullam nisi mathematicam TANTI AC TOTIUS, et eâ contineri omnem scientiae conscientiam, omnem divinae RATIONIS & observationem & observantiam, omnem religionem veram, vidimus: cxxxix. cxl. Et primus itaque religionis hujus naturaliter divinae gradus erit: ipsam probitatem colere illius principii unici, QUATENUS? seu, VIDE QUANTUM? Gradus verò hic nobis dicetur, a λογος, LOGION et ejus cultor LOGISTA.

Digitized by Google

Quasi: rationatum et rationator: videlicet, contra mentis brutae illud vagum somnium saepe mirè sublime, contra opinionum deliria, contra liberae demum phantasiae transcendentias omnes. Et is igitur logista jam rationis, verae ac divinae, compos est: TANTUM dati, quantillum sit, sanctè colit: actu PROBUS.

II. Secundus autem gradus erit: non modò Tantum dati notum sibi, sed & Maximum dati notum omnibus, mathematicâ sanctitate colere: per illud regimen RECTI seu rationis imperium, quod vidimus: CXLVIII. Et gradus hic, non modò Probitatis, sed & Integritatis: qua verum divinum maximè agnoscitur: gradus hic nobis dicetur STATERION et ejus cultor STATERISTA.

III. Qui demum illud maximum VERI ad maximum BONI conformaverit actu: is unicè OPTIMUM MAXIMUM colit: is, OPTIMI optimâ cognitione verè sapiens, κατ' ἐξοχὴν Religionem habet ac numen: CXX, 6. CXXI, 4. CXXXIX, 2. 3. Ideoque

Digitized by Google

gradus hic tertius propriè nobis dicetur HARMONION et ejus cultor HARMONISTA.

§. CLII.

In sanctitate igitur mathematicâ TANTI ac TOTIUS — religionem veram videmus; sed maximè tamem in OPTIMO actuali. Et in OPTIMO actuali quia propriè humanum illud conspicitur NUMEN, ideo sanctior et religiosior nemo erit, nisi harmonista ille seu optimista.

2. At verò actuale hoc Optimum Maximum non modò mortales omnes maximè optant, sed & religiones quotquot fuerunt, sunt, erunt, unicè intendunt. Nec, nisi OPTIMI MAXIMI, ulla datur orthodoxia; sed nil nisi vana doxia.

3. Ergo sociationem ad OPTIMUM MAXIMUM illico fore mortalium cuique optimo et maximo gratissimam, rata spes est.

Talem verò sociationem, vel majorem vel minorem, vocare liceat, ob gradum illum, quem vidimus, HARMONION. Et modum optimi maximi, in arte sanctissimè probatum, rei cuivis actu sancire, dicetur nobis rem eam optimare: quin, eâdem analogiâ, qua & summare & sublimare dicitur, etiam in primo gradu PROBITAS rationare, et in

Digitized by Google

secundo gradu INTEGRITAS maximare, sicut in hoc tertio gradu RELIGIO demum optimare, dicetur: ut sit nomen verè novimen.

4. Revelatam autem sibi vivam voluntatem Dei Optimi Maximi seu divinae rationis divinam orthodoxiam — religio illa optimistarum colit in ARTE: ac velut prophetas igitur veneratur suos, non transcendentis phantasiae fanaticos, sed in ipsâ rerum Naturâ summos artifices, id est, divinae Sapientiae et Potentiae et Bonitatis, per opera optima et maxima, verè summos imitatores: CLI, 2.

5. Jam cujus rei OPTIMUM MAXIMUM omnium primò sancietur in tali Harmonio seu diâ sociatione e. g. decem herorum?

Facillimae rei et cuique maximè licitae: harmoniae vitalis: CXLIV, 3. Et quid igitur in victu, in amictu, in domu aptandâ, in herili arbitrio, et in omni demum vitae cultu, sit cuique optimum maximum, id ex artis lege sanciendum.

6. Erat autem principium universale RECTI, & theoreticum & practicum, sensu populari, TUTISSIMUM, LXX: id est, altiori sensu, HARMONICUM, seu in omni & materiae & formae ratione proportionatum: nec igitur vel VERI et BONI, vel MAXIMI et OPTIMI, aliud principium datur.

Digitized by Google

7. Atque populari sensu illo TUTISSIMUM nil erit, nisi actu sit idem — & maximè aptum, id quod per se patet: & maximè gratum, quia ingrata potentior natura spernit: & maximè parabile, nam anceps illa ardui voluptas et ardui gloria, sibi saepius dira quàm aliis mira, vitam emolitur potiùs gravem quàm suavem. De his igitur artistae illius OPTIMI MAXIMI, quod quaeritur, consulantur: ut, in his, inde sanciatur vitae & altior securitas & suavior venustas. CXLIV, 3.

8. Nec unquam, nisi tales ubique sociationes ineant mortalium optimi et maximi, instaurabitur Humanitas, id est, illa OPTIMI MAXIMI religio naturaliter divina. Nam singulus quisque, quantumlibet verè optimus et maximus, contra sollennem moris moriam si actu sapere audet, is tamen eâ singularitate suâ stupendus videtur magis quàm admirandus.

9. Adeo ut ipsa OPTIMI MAXIMI divina & securitas & suavior illa venustas tota usque pereat, si non accedat auctoritas viva hominum optimorum et maximorum. Quorum, ubique terrarum, privatim initum HARMONION facillimè ascendet ad HARMOSTIAM: seu, ad coloniam, ipsâ in patriâ, etiamsi a villâ seu singulo praedio

Digitized by Google

inchoandam: id est, facillimè ascendet ad propriae regionis regimen ex OPTIMI MAXIMI divinâ lege.

§. CLIII.

Jam ad vitam actu beatam verè colendam, vel per HARMONION vel per HARMOSTIAM, quid Naturae Numen jubeat: id vidimus in archimetriâ: CXXXIX - CXLIV. coll. CXXXVII et CXLVIII. Ubi attendas: politiam cautionis de damno possibili: maximium rationis publicae: regimen harmoniae seu principii hujus: AD SALUTEM TOTIUS quantum quis vel quid? Ita verò, ut nunquam cesset hominis jus divinum illud: vel in virtute, Quid sit cujusque suum optimum et maximum: vel in salute, QUANTUM SATIS ad bene beateque vivendum in gradu suo? Ultra quem gradum suum nemo nemo vel bonus vel beatus esse poterit. At verò in gradu suae virtutis — homo homini & naturaliter divinus erit & socialiter sanctissimus: nam quod Huic et His, idem Tibi ac Tuis, accidet. Adeo ut inaequalitatem istam primò brutam et vagè liberam lex harmonica salutis unius molliat. Et RECTUM igitur nil — nisi quatenus harmonicum: sicuti vera virtus est ipsa vis harmonica.

Digitized by Google

2. Unde lex legum erit: scala meriti: seu, mathesis BONI, a minimo usque ad maximum.

Cujus divinae matheseos rationes altiores nec HARMONION nec HARMOSTIA sanciet aliter, quàm annuente & imperio regni & arbitrio bonorum. Nec enim revolutiones amentes, sed Formationem nativam, volunt Optimistae: et nunquam, nisi altiori unione, altior ulla oritur potentia: CXXXIX, 8. Ergo, fide palam sanctissimâ, non illico decernendas, sed antea rite discernendas, celebrant salutis humanae rationes altiores: e. g.

3. In illâ Personâ morali civitatis repraesentari a regimine — cerebrum omnium seu sensorium: a vi militari — cor omnium seu animum: a plebe — artuum agilitatem omnem, et ab operariis manus ipsas, ab opificibus digitos, a mercatoribus pedes ob vecturam. Inde verò tres diſtingui ordines naturaliter: SAPIENTES, FORTES, INDUSTRIOS. Ita, ut ad regiminis majestatem evehatur, ipsâ vi Naturae, quicunque maxime sapit: ad heroicae virtutis gloriam fortissimus quisque: ad eximiam sui operis laudem, in genere quovis, maximè industrius. Et hos ordines qui turbare ausit, ei vesano ruinam Natura minatur.

Digitized by Google

4. Nèc enim alia datur libertas divinitus vera, quàm jus cuique datum OPTIMI MAXIMI: ex publicâ scalâ meriti sui seu evidenti suae sapientiae, fortitudinis, induſtriae gradu, id est, suae virtutis mathesi: ita ut inter omnino pares aequa SORS decernat.

5. At civitatis, Personae moralis illius augustae — ecquam nunc miramur speciem ridiculè horridam velut immanissimi GRYPHI: cujus & spiritus & sanguis omnis in pedum ungues abiit enormes ac rutilos: cerebro quidem fatuissimo et exanimi corde, sed rostro capaci et ingenter alatâ superbiâ. Videlicet: ungues mercaturae, et rostrum vectigalium. Ergo mercatura, et illa magnaria praecipuè, nunc ad salutem & publicam & privatam intutissima, erit, reipublicae propria, ipsissimum et unicum vectigal reipublicae: per quaestores ipsius regiminis et cum PRETIORUM indice palam sacrosancto. Ita verò, ut cesset illa CREDITI, nunc velut publicae aleae, fides infida.

7. Nec in ullâ induſtriâ, sicut nunc, & rapina & ruina erit libera; sed MODUS cuique constabit suus harmoniae beatissimae. Modus, quem publicè probatissimum ARS dia jusserit: ita, ut sanciatur etiam, qua diaetae ratione, qua sociatione, qua modulatione, sit operandum. Erit enim labor cuique

Digitized by Google

maximè harmonicus: labor, viva vitae aura et humani divina vis vigoris: labor, ad unum omnium OPTIMUM MAXIMUM; CXLIV, 3.

8. A quo labore tenditur ad TEMPLUM: id est, ad sollenne Gaudium, quo unicè colitur Deus Optimus Maximus. In cujus Gaudii actuali theomelo hae latent rationes: DIEM esse velut pusillam VITAM: solis ortum et occasum esse vivas vices humani aevi. Has qui non colit, is nec anni vices verè colit nec aevi: is infra bruta sapit, dum supra hominem transcendit. Celebratur autem totius vivae Naturae illa viva religio in GAUDIO sollenni. Et quaenam igitur esse deceat jubila diei, anni, aevi? id quaerimus ab ARTE et artistis optimis et maximis, religionis naturaliter divinae prophetis. Melica verò carmina, laetè sublimia, et ritualia ex intimo sensu Naturae ac Numinis, altior dabit genius.

9. Harmostae demum ipsi, seu verè theologi, optima et maxima celebrabunt effata sapientiae: contra omnes transcendentias, quantumlibet barbarè sublimes, Erroris ac Terroris. Nempe: religionem esse ipsam rationem divinam vitae beatissimae: et orthodoxiam dari nullam nisi OPTIMI MAXIMI. Ergo, quod OPTIMUM esse maximè probatur, id illico haberi dogma

religionis naturaliter divinae: nec nisi optimo cuique dium honorem hujus religionis patere. At vi vivâ Numinis mortalibus omnibus Optimum optari maximè. Hominem inde homini esse & naturaliter divinum & socialiter sanctissimum: nam quod Huic et His, idem Tibi ac Tuis, accidet. Tutissimum tamen ad vitam beatam esse nil, quod non sit itidem suavissimum. Et quidquid igitur ad salutem, ad suavitatem veram, bene ac bellè fit, id unum sanctum esse ac dium: quin & in harmoniae melo unicè Deum revelari adeo, ut verè venustum ac verè suave omne sit velut nutus ille sui numinis, quo amans nobis annuit Deus.

§. CLIV.

Atque attentiori cui non patet: VERITATEM omnem esse vivam vivi Dei verbum: ac Dei Optimi Maximi aeternam voluntatem esse ipsam illam in OPTIMO MAXIMO beatitudinem. Theologos igitur, et summos doctores, verè haberi Felicitatis humanae aut sanctos tutores, aut proditores nefarios. Quin atheismum dari alium nullum, quàm non curare hominum diorum felicitatem: negligere vitae beatissimae harmoniam: spernere OPTIMI MAXIMI divinam RATIONEM. Hinc mysterium ipsum doctae

Digitized by Google

iniquitatis hoc esse: tolerare malum, id est, connivere Orco. Hinc & hominis vel minimi miseriam vel minimam, cujus inevitabilis necessitas palam ostendi nequeat, non esse nisi a doctorali atheismo illo blandè crudeli: dum, nullâ initâ optimorum sociatione, actu nihil doctores vetant miseriae et mali, sed bonos omnes inducunt in idem suae blandae crudelitatis horrendum scelus: CXLII, 7. Et hinc demum de omni & ritu & lege, de omni & religione & regimine, cuique patere summum judicium hoc: AN ERGO VITA NUNC VIVITUR BEATIOR?

2. O doctores mundi: cum hac vitae beatissimae divinâ harmoniâ comparate vestram illam transcendentiam ABSTRACTI et ABSOLUTI, id est, somnii et furoris. Est enim somnium quidquid abstractè cogitatur: et furor quidquid absolutè agitur. Unde nunc en vesanè tota negligitur Humanitas. Liberè dominatur alius aliusque error ac terror. Ruit vaga FORS fortioris amentiae.

3. Ergo demum reali studio vitae beatissimae, reali studio securitatis et suavitatis, reali studio OPTIMI MAXIMI, nunc pateat, quos viros rectè judicarimus esse optimos et maximos, id est actu, principes humanitatis.

Cap. I. RATIO: pag. III.
Nullam Rationem dari nisi mathematicam seu divinam rationem TANTI ac TOTIUS.
Cap. II. FIDES: pag. XLIX.
Nullam Fidem dari nisi mathematicam seu ipsam sanctitatem rationis
Cap. III. MUNDUS: pag. LXXXIII.
Errari per vagam similitudinem, sophicam, poëticam, politicam: et, contra divinam rationem TANTI ac TOTIUS, humanum illud ABSTRACTI et ABSOLUTI, quia ecstaticè et sine modo, ipsam esse transcendentiam somnii et furoris.
Cap. IV. SENSUS: pag. CLIII.
Solo sensu ideam omnem intelligi, nec sensum transcendi nisi per id quod non intelligitur: ideale et reale nil esse nisi minimum et maximum ejusdem Cogniti: attamen a dato dati videri a priori et, ad nihil usque, parum videri purum.
Cap. V. METHODUS: pag. CXCIX.
Archimetron minimi ad maximum: unde omne patet sublime & Mundi & Naturae & Numinis.
Cap. VI. SCIENTIA: pag, CCXXXIII.
Ipsa ratio divina tanti ac totius observata: unde cyclopaediae illa clara magnitudo.
Cap. VII. THEOLOGIA: pag. CCLXX.
Theomelos harmoniae totalis.
Cap. VIII. JURISPRUDENTIA: p. CCLXXV.
Theonomos harmoniae socialis.
Cap. IX. MEDICINA: pag. CCLXXXVI.
Theobios harmoniae vitalis.
Cap. X. PHILOSOPHIA: pag. CCXCIII.
Archimetria seu pantomathesis.
Cap. XI. STUPOR: pag. CCXCIV.
Autocratia imposturae doctoriae: et fanaticae transcendentiae omnis error ac terror.
Cap. XII. SAPIENTIA: pag. CCCXII.
Imperium divinae rationis; ac demum
OPTIMI MAXIMI religio instaurata.

Emend. pag. CVII. *versic. 1. ipsa illa.*
— CLXXXIII. — *24. sentiendi.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google